





OFFICIA PROPRIA
SANCTORVM
PATRONORVM
REGNI SVECIÆ

Ex vetustis Breuiarijs eiusdem
Regni deprompta.

Ad instantiam Ser^{mi} SIGISMUNDI III. Sueciæ & Poloniæ Regis, à Sac. Rituum Congregatione, auctoritate Apostolica, recognita & approbata, atque omnibus tam in dicto Sueciæ quam etiam Poloniæ Regno habitantibus concessa, ut liberè & licitè, translatis vel omissis alijs Officijs quæ eadem die occurrunt, recitari possint & valeant.



ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LXXXIII.

KALENDARIVM SS. PATRONORVM REGNI SVECIÆ.

I A N V A R I I .

- 6 Missa fit pro statu Regni de sancto Erico.
 19 **S. Henrici Episcopi & martyris** duplex. 3
 24 Translatio S. Erici Regis & martyris. duplex. 5

F E B R V A R I I .

- 4 **S. Ansgarij Episcopi & confessoris**. duplex. 6
 25 **S. Sigfridi Episcopi & confessoris**. duplex. 9

M A R T I I .

- 23 **S. Catharinæ Vastanensis, filiæ S. Birgittæ**. duplex. 12

M A I I .

- 18 **S. Erici Regis & martyris**. duplex. 13

I V N I I .

- 12 **S. Aeschili Episcopi & martyris**, duplex. 16
 21 Missa fit pro statu Regni de Sanctissima Trinitate.

I V L I I .

- SS. Patronorum Regni Sueciæ Dominica proxima post Octauam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. duplex. 19
 15 **S. Dauidis Abbatis**. 24
 28 **S. Botuidi martyris**. duplex. 25
 29 **S. Olai Regis & martyris**. duplex. 28
 31 **S. Helenæ viduæ & martyris Scodeuensis**. duplex. 29

A V G U S T I .

- 2 Commemoratio S. Catharinæ Vastanensis, filiæ S. Birgittæ, duplex. 32

S E P T E M B R I S .

Festum Reliquiarum in Ecclesia Upsalensi, Dominica proxima post Festum sancti Matthei Apostoli. duplex. 32

O C T O B R I S .

- 6 Translatio S. Aeschili Episcopi & martyris duplex. 35
 7 **S. Birgittæ viduæ**. duplex. 35

OFFI-

SI 1617

OFFICIA PROPRIA SS. PATRONORVM REGNI SVECIÆ.

DIE XIX. JANVARII.

In festo S. Hentici Epitopi
& martyris. Duplex.

Ad Vespertas, Antiph. Qui me
confessus fuerit. cum reliquis
de Communi vnius Martyris.

Ad Magnificat, Antiphona.
Gloriosum Pontificē Henricum,
post multiplicem virtutem qua
floruit, per mortem quam susti
nuit, victorem vexit hodie Christ
stus in templo gloriae. Oratio.

O Mnipotens sépiterne Deus,
qui beato Henrico marty
ri tuo atque Pontifici, gloriose
triumpho martyrij largitus es
palmam, eius quæsumus meritis
& precibus gratiam nobis lar
giaris & gloriam. Per Dñm.

Ad Matutinum, Invitatorium,
Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, &
omnia alia dicuntur de Com
muni vnius Martyris, exceptis
quæ h̄c assignantur.

In primo Nocturno leguntur
Lectiones, A Miletō de Com
muni vnius Martyris.

In secundo Nocturno.

Ex Scriptoribus rerum Sueticarū.
Lectione iiiij.



Egnante in Sue
cia sancto Rege
Erico, Henricus
ex Anglia oriundus,
vitæ sancti
tate & morum
honestate clarus,
atque propterea à Rege specia
lis familiaritatis gratia hono
ratus, Vpsalensem regebat Ec

clesiam. Quibus quasi duobus
luminaribus, populus terræ il
lius ad veri Dei notitiam mag
is ac magis illustrabatur. Ædi
ficabatur tum crescens in timo
re Dei Ecclesia, iustitiaque &
pax inter subditos propagabat
ur, cùm Rex sedens in solio, in
tuitu suo omne malum dissipar
et, & bonus pastor super cu
stodiam gregis sui sedulo vigi
laret.

B. Omnes gentes jubilate, Deo
cæli exultate, gaudent Finlan
dia; læti Deum collaudate, * Et
Henrici celebrate læta natalitia.

V. Hic effulsi honestate mor
rum, verbi veritate, vitæ sancti
monia. Et Henrici. Lectione v.

C Vm verò plebs Finlandiæ,
tunc à vero Deo aliena, in
colis Sueciæ grauia damna fre
quenter inferret, sanctus Eri
cus Rex, assumptio secum bea
to Henrico Vpsalensi Episcopo,
collectoq; exercitu, contra no
minis Christi & populi sui ini
micos expeditionem fecit. Qui
bus fidei Christi & suo subiu
gatis dominio, baptizatis plu
rimis, & fundatis ibi Ecclesiis,
in Sueciam cum gloria victo
ria rediit. Beatus verò Henri
cus, ad irrigandas imbie cæle
stis doctrinæ nouellas plantu
las, & corroborandum Dei cul
tum, in partibus illis remansit,
non metuens se quibuslibet ad
uersis exponere, ut possit Dei
gloriam dilatare.

A 2

B. San-

3516/k/84

R. Sanctus cuiusdam impij redarguit saevitiam, ut reus homicidij subiret pœnitentiam, * Et pœnitens flagitijs consequeretur veniam. **V.** Qui salubris remedij spreuit infelix gratiam. Et pœnitens.

Lectio vi.

EO igitur ædificationi & confirmationi Finlandensium Ecclesiæ prudenter & fideliter insistente, accidit ut quidam homicidij reus ad eum deferretur. Quem ob ipsius facinoris immanitatem, cum Ecclesiastica disciplina corrigeret vellet, vir ille sanguinum, salutis remedium contempnens, in ministrum iustitiae & suæ salutis zelatorem manus iniecit, ipsumque crudeliter trucidauit. Sic sacerdos Domini, acceptabilis hostia, diuinis oblata conspectibus, occumbens pro iustitia, templum supernæ Ierusalem feliciter intravit. Cuius sanctitatem Deus, tum celeri vindicta quæ impium parricidam consecuta est, tum beneficijs multis ad memoriam eius exhibitis, illustravit.

R. Impenitens malitia vir sanguinum, Ecclesiæ despecta disciplina, * In ministrum iustitiae ferox fuit, & rabie hunc occidit ferina. **T.** Sic cum palma victoria Præfus intravit hodie palatia diuina. In mi-
am. **Gloria Patri. In mi-**
am.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectio vii.

Cap. 16. b

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostmi.

Homil. 56. in Mattheum.

Si quis vult, siue vir, siue mulier, siue Princeps, siue subditus, hanc viam ingrediatur. Et sermo quidem vnum quid significare videtur: tria vero continent, abnegationem sui ipsius, & vt crucem accipias, & tertio, vt Christum sequaris. Quorum duo coniuncta sunt: vnum per seipsum separatim ponitur. Si enim intelligis quid sit alium abnegare, tunc recte percipies quid sit abnegare te ipsum. Qui alium iam abnegauit, fratrem puta, aut seruum, aut quemuis alium; si cædi eum virginis videat, si arcei in vinculis, quidquid aliud pati eum conspexit; non occurrit, non auxiliatur, non flebitur, nec prorsus ullo modo mouetur, ceu ille qui penitus ab illo alienatus est.

R. Imitator Salvatoris, vigilanter populis veram fidem Creatoris prædicens incredulis, * Ut præclari sol fulgoris lucem dedit fæculis. **V.** Glorioso iam laboris fructu gaudet, & honoris insignitur titulis. Ut præclari.

Lectio viii.

Sic igitur nullo pacto nos corpori parcere nostro vult, ut neque si cæditur, neque si pellitur, neque si vritur, nec si quid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus. Quid dixi, Non parcamus; cum id profecto sit vere parcere? Nam etiam tunc patres filiis maximè parcunt cum magistris atque doctoribus tradentes, maximè rogant ne parcant. Sic igitur Christus non dixit tantum, Non parcas; sed significantius ac expressius: Denega te ipsum, pericula subi, certaminibus te offer; & quasi alias

In festo Translat. S. Erici Regis & marty.

alius hoc patiatur, sic afficiare. Nec dixit, Neget; sed, Abneget; vt hac adiunctiuncula plutimum addat: cum abnegare multo plus quam negare profecto sit. **Resp.** O vita commendabilis, o mors desiderabilis, propter quam venerabilis hic Pontifex fit similis, * In gloria Sanctorum. ¶ Commenda nos amabilis Pater, & honorabilis martyr Regi celorum. In gloria. Gloria Patri. In gloria. **Lectio ix.**

Et tollat crucem suam. Nam ne quis putet, ad verba usque tantummodo, ac contumelias, & opprobria abnegationem hanc sui fieri oportere, id subfunxit, ut videas abnegandos nos esse usque ad mortem, & mortem turpissimam: quam defignans, non dixit, Abneget seipsum usque ad mortem; sed, Tollat crucem suam, non semel nec bis, sed continuo per totam vitam, hanc tecum mortem circumferas, & continuo ad necem paratissimus sis. Et sequatur me. Ne credas ipsius passionis naturam per se sufficere, causam eius subiecit. Quam? Ut quae dicta sunt vniuersa faciens atque patiens, ipsum sequaris: ut scilicet propter ipsum omnia sustineas, usque omnem virtutis numerum habeas. Is enim Christum sequitur, qui non in pecculis modo fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris Philosophiae genus complectitur. Te Deum laudamus.

Ad Benedictus, Aña. Christi pugil eximus, & Pontifex egregius, in hac die caelestia triumphator ad gaudia introiuit feliciter, Deo fruens perenniter.

In ii. Vesperis ad Magnificat,
Aña Christe virtus pugnantium,

corona triumphantium, nos praesens post exilium, Henrici per suffragium perduc ad perpes gaudium, quo tecum semper omnium gaudet ceterus fidelium.

DIE XXIII. IANVARII.

In festo Translationis S. Erici Regis & marty. Duplex.
Omnia de Communi viuis Martyris, praece ea quae hic sunt propria.

Ad Magnificat, Antiph. Ave Martyr pretiose, miles Christi gloriose, ave Regum gloria, o Ericus Rex Suecorum, posce nobis peccatorum veniam, & gaudia.

Oratio.

Praesta quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Eriici martyris tui Translationem colimus: intercessione eius in tui nominis amore roboremur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones leguntur de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone sancti Ambrosij Episcopi.

In Natali SS. Nazarij & Celsi.
Lectio iii.

Immensa Dei nostri pietas, multiplex ad bonitatem, & artifex ad salutem, propo-nens arduam virtutum palmarum, raro appetitore pretiosam, in paucorum triumphis plurimorum commodis prospicit. Illorum siquidem metita, nostra vult esse suffragia: simulq; dum nobis fidem veram duro martyrij agone commendat, afflictionem praecedentium, instructiōnem efficit posteriorum. Quanta est erga nos Dei nostri sollicitudo! Illos examinat, ut nos erudit; illos conterit, ut nos acquirat; eorumque cruciatus, nostros vult esse profectus.

B. Honestum fecit.

A 3

Lectio

In f^elo Translationis S. Erici Regis & martyris.

Le^ctio v.

Merito ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant, & nostris utilitatibus militant; qui per lucis virtusque contemptum, edocent nos quantum Deo nostro debeamus affectum. Nouerimus itaque, quia non sine magno discrimine de religiosis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Proprietarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem, quasi nouellam discutere presumas; & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores otiosa disputatione contendas.

R. Detiderium.

Le^ctio vi.

Veneremur ergo in sanctorum Martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab ipsis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidenter afferitur. Namquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatorem perfecta definitione sentirent. In sanctis itaque praconibus veritatis, resurrectionis auctoritas est. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.

R. Stola iucunditatis.

In tertio Nocturno, Homilia in Euangelium. Si quis vult post me venire. de Communi vniuersi Martiris.

Ad Benedictus, Aña. Corona fulgens aurea flos dignitatis Regiae, sanctus Ericus ignea vicit tela nequitiae, sic victor vernans laurea, Rex & Patronus Sue-

ciae, felix de domo lutea transiit ad Regnum gloriae.

In iij. Vesperis, ad Magnificat.

Aña. Miles Regis gloriae, tutrix innocentium, manus perfidie, Rex Erice brauium apprehendens, in agone ense cæsus hostium, nobis placa Martyr bone Iesum Dei Filium.

DIE IIII. FEBRVARII.

In testo sancti Ansarij Episcopi & confessoris. Duplex.

Ad Vespertas, Antiph. Ecce sacerdos magnus, cum reliquis de Communi Confessoris Pontificis.

Hymnus.

Ansgari Pater optime, Errantes nos in deuio Reduc tuo iuuamine, Seruans in Christi gremio.

Danis & Suecis gratiae Donum fidemque prædictas; Pgil fortis in acie

Gentes Deo sanctificas.

Notam facis incredulis Doctrinam Euangelicam, Lucem ministrans populis Ducis in viam cælicam.

Bonus pastor viriliter Gregem pascis Dominicum; Informans, ut veraciter Christum colat magnificum.

Prudens talenta gratiae Cum lucri magnitudine Adducis Regi gloriae In pacis pulchritudine.

Deo Patri sit gloria, Eiusque soli Filio, Cum spiritu paraclito, In sempiterna sæcula. Amen.

V. Amavit eum Dominus, & ornauit eum. **R.** Stolam gloriae induit eum.

Ad Magnificat, Antiph. Ludo-ticus Imperator dirigit Ansarius, ut sit Suecis Legislator: docens Euangelium, cæli spargit ex thesauro veritatis gratiam,

tiam, ex doctrinæ profert auro
fidei constantiam.

Oratio.

Exaudi, quæsumus Domine,
preces nostras, quas in beati
Ansgarij confessoris tui atque
Pontificis solemnitate deferimus : &
qui tibi dignè meruit
famulari, eius intercedentibus
meritis ab omnibus nos absolue
peccatis. Per Dominum.

In j. Nocturno leguntur Le
ctiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno. Lectio iiiij.

Reli giosa beati Ansgarij
Galli, primi Suecorum &
Gothorum Apostoli sanctitas, ab ineunte cœpit statim crescere ætate. Nam vix pueriles annos egressus, superna visitatione per quietem monitus, ut mundi illecebras contemneret, mox in monasterio Corbeiensi, sancti Benedicti Regulam professus, totum se in Dei amorem transfudit, assidue orationi, vigilijs, & abstinentiæ deditus. Cum autem ad Ludovicum Caroli Magni filium Imperatorem, primo eius Imperij anno, Legati à Rege Sueorum Biornæ secundo venissent, qui Christianæ fidei Doctores in Sueciam mitti petebant, beatus Ansgarius, instantे Imperatore, onus prædicandi Euangeliū per Aquilonaria Regna libenti animo suscepit, statimque Regis Legatos comitatus, ad Regem Biornem in Birca ciuitate tunc maxima agentem, cum Vithmaro & alijs socijs venit. **¶** Inueni Dauid.

Lectio v.

Ad cūius prædicationē multi Suecorum crediderunt in Christum, & baptizati sunt. Inter hos Praefectus Regis inclitus Heringarius; qui veluti alter Sebastianus, tantum in su-

cepta fide floruit, vt in æde sua, quam in Ecclesiam consecrati fecerat, Christo assidue seruens, eumque prædicans, miraculorum etiam gloria illustratur. Suecis ad fidem conuertis & baptizatis, multisque apud illos Ecclesijs constructis, Ansgarius ad Danos deinde se contulit, cùm regnaret in Dania Ericus cognomento Impius: vbi etiam Euangelium prædicans, de Impio tyranno pium Christi ministrum effecit. Porro cùm vidoret messem esse multam, nec se huic tanto labore solum sufficere posse, destinavit suo loco in Sueciam sanctissimum virum Simonem Episcopum, & Nitardum venerabilem Presbyterum : qui Christianam doctrinam induratis hominibus prædicantes, grauisimas persecutions sustinuerunt; & ad extremum glorioſo martyrio vitam suam feliciter consummaverunt. Ipse vero primò Hamburgensem Episcopatum, posteà Bremensem Archiepiscopatum administrauit, probante id Gregorio Papa Quarto Apostolica auctoritate, & Pallij concessione, confirmante vero Nicolao Romano Pontifice, qui ipsum ac successores Legatos & Vicarios Apostolicæ Sedis constituit.

¶ Posui adiutorium.

Lectio vij.

Huius Pontificis tanta erat sanctitas, vt eam Reges honorarent, Pastores Ecclesiæ magna veneratione colerent, Clerus admiraretur, & populus imitaretur vniuersus. Miraculorum quoque gratia singularis ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, & confirmationem fidei inter gentes eidem

à Deo collata fuit. Nam orationibus suis, & olei sacri inunctione, pluimos à diuersis morbis & languoribus sanabat. Unde certatim ad eum confluabant infirmi medicinam petentes, & sanitatem integrā recipientes. Tandem ætate & laboribus fatigatus, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, graui corporis infirmitate per quatuor & amplius menses plus solito laborare cœpit: qua licet sic attritus & consumptus esset, ut pænè iam de corpore nihil præter neruos & ossa remaneret, nihilominus tamen in Dei laudibus perseverans, inquietum ab oratione animum non relaxabat: sicq; oculis in cælum intentus, cum sedisset annos triginta quatuor, spiritum in manus æterni Patri tradidit, anno Redemptoris octingentesimo sexagesimoquinto, Cuius res præclare gestas Rembertus eius Diaconus scripsit, & ipse sanctitate conspicuus eius in sede successor.

R. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficisciens, vocavit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorij Papæ.

Homilia 9.

Talenti nomine cuiilibet pauperi etiam hoc ipsum deputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam; prædicationis ministerium debet ex talento: aliis terrenam sustantiam accepit; erogationem talenti ha-

bet ex rebus: alius nec intelligentiam internorum, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem qua pascitur; ipsa ars ei in talentri acceptiōne reputabitur: alius nihil horum assūctus est, sed tamen fortasse locum familiaritatis apud diuitem meruit; talentum profectò familiaritatis accepit: si ergo nil pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.

R. Posuit os suum Dominus, quasi gladium acuum, in umbra manus suæ protexit te. * Et posuit te quasi sagittam eleam. **y.** Ansgari, seruus meus es tu, quia in te gloriabor. Et posuit te.

Lectio viii.

Habens igitur intellectum, cutet omnino ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet, ne à misericordia largitate torpescat. Habens artem qua regitur, magnopere studeat, ut vsum atque utilitatem illius cum proximo partiatur. Habens alloquendi locum apud diuitem, damnationem pro reten- to talento timeat, si cum valet, non apud eum pro pauperibus intercedat. Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus iudex exigit, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui rationibus, redeunte Domino, quisque securus sit, cum timore penset quotidie quod accepit. Ecce namque iam iuxta est, ut ille qui peregrè profectus est, redeat. Quasi peregrè quoque abiit, qui de hac terra, in qua natus est, longè discessit. Sed profectò reuertitur, ut de talentis rationes ponat: quia si à bona actione torpescimus, de ipsis bonis quæ contulit, nos distictiūs iudicat.

R. Ans-

N. Ansgari , dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea usque ad extremum terræ : * Reges videbunt , & consurgent Principes, & adorabunt Dominum.

V. Ego elegi te vt eas , & frumentum afferas , & fructus tuus maneat. Reges videbunt. **G.** lozia. Reges videbunt. **Lectio ix.**

Consideremus igitur quæ acceperimus , atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spirituali opere cura impedit: ne, si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam prouocetur. Piger etenim seruus, cum iudex culpas examinat, talentum de terra leuat. Quia sunt plerique , qui tunc se à terrenis desiderijs vel operibus subtrahunt, quando iam per animaduersionem iudicis , ad æternum supplicium trahuntur. Ante ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, vt cum iam Iudex ad ferendum imminet, lucrum nos quod fecimus, excusat.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Languidorum multitudo suis sanctis precibus surgit sana , fortitudo daturque debilibus , infirmantes apportantur ex diuersis partibus, omnes Christum confitentur restitutis viribus.

In ij. Vesperis ad Magnificat.

Antiph. In extremo terræ sita Suediorum regio , in errorum forde trita traditur Ansgario, per doctrinam vt polita fiat habitatio Christo , qui est lux & vita summaque perfectio.

DIE XXV. FEBRVARII.

In festo S. Sigfridi Episcopi & confessi. Duplex.

Ad Vesperas, Aña. Ecce sacerdos magnus, cum reliquis de Communi Confessi Pontificis

Hymnus.

Sigfridi almi Praefulvis
Odas soluamus carminis,
Qui Suecis verbo dogmatis
Dona fudit Baptismatis.

Vit iubar sui luminis
Gemma fundit in tenebris,
Sic cultu sancti Numinis
Praeful fulsit hic celebris.

Hic Anglicus natalibus
Procreatus nobilibus:
Testatur id profapia
Anglorum Regum Regia.
Hic Anglicus Angelicus,
Qui mislus nobis cælitus,
Hos iungat suis precibus
Angelorum apicibus.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sæculū. Amé.
V. Amauit eum Dominus , &
ornauit eum. **B.** Stolam gloriæ
induit eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

In hymnis & confessionibus magnificemus Dominum, qui fidei gratia sanctum Sigfridum euocauit ab Anglia, cuius doctrina aurea , Sueonum resplenduit Ecclesia ; per ipsius merita pia, semper apud Deum inueniamus auxilia.

Oratio.

Deus, qui beatum Sigfridum Confessorem tuum, Euangelicæ prædicationis gratia sublimasti : præsta quæsumus ; vt & doctrina eius erudiantur, & precibus adiuuentur. Per Dominum nostrum.

In j. Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Annalibus Sueticis.

Lectio iiiij.

Motu beato Ansgario, cum Suecia ad cultum idolorum relapsa , in primitis errorum tenebris per

A 5 mul-

multos annos versaretur, Olaus Skothkonung dictus, Sueonum & Gothorum Rex, Christianæ religionis studio incensus, per Legatos apud Anglorum Regem egit, ut viros aliquos pios & Christiana lege eruditos ad se mittendos curaret. Qui congregato Episcoporum & sacerdotum concilio, piam Sueonum Regis postulationem ipsis aperuit, hortatusque est, ut ex suo ordine aliquos deligerent, qui labores, pericula, ac mortem etiam pro Christi gloria sustinere vellent. Tunc beatus Sigfridus Episcopus Anglus, vir genere Regio, doctrina & auctoritate illustris, videns ex triduano colloquio, nullos vel certe paucos repertos fuisse, qui se vellent tanto periculo committere, ipse sponte se ad eam peregrinationem obtulit.

M. Inueni David. **Lectio v.**

ITaque venerabilis Pontifex Sigfridus relista patria, superatis longissimis & periculosisissimis maris itineribus, cum tribus nepotibus suis, & beato Æschilo consanguineo suo, circa annum Domini millesimum pertuerit in Gotiam, ubi nunc Vexionensis Ecclesia cernitur. Quo in loco, cum sub papilionibus sacrificium Domino offerret, a Præfecto Regio in eleuatione hostiæ puerum visus est eleuasse. De cuius aduentu & miraculis, quam primum Rex ab eodem Præfecto rescivit, obuiam processit aduentani, atque viro Dei verbum salutis prædicante, credidit ipse & omnis populus. Dum instituendis Ecclesijs occuparetur, audit cum magno animi dolore tres nepotes suos, quibus Ecclesiam Vexionensem commiserat, occisos, spoliatos, & abscessis

capitibus in stagnum projectos esse. De quibus interfectoribus Rex dignum supplicium sumere voluit; sed benignissimus Pontifex, ne occiderentur orabat, desursum omnem consolacionem expectans.

M. Posui adiutorium.

Lectio vij.

NEC Deus Sancto suo in tanto dolore laboranti defuit. Cum enim quadam nocte circa stagnum Vexionensi Ecclesie contiguum orans inambularet, vidi a longe tria lumina per aquas ad se deferri: quorum indicio vnam, in qua capita charissimorum nepotum projecta erant, in aquis inuenit: quæ adhuc roseo cruore perfusa aspiciens, dixit: Vindicet Deus. Cui mox ex capitibus vnum respondit: Vindicabit. Alterum dixit: Quando? Tertium subiunxit, in filios filiorum. Quod illæ intersectorum familie in hanc usque diem re ipsa experiuntur. Non tamen propterea sanctus Christi Confessor animum a Christi fide propaganda, & eius sancto Euangelio annuntiando remisit. Tandem post longos labores, & continua sanctissimæ vitæ studia, plenus dierum ad Deum, cui fideliter seruierat, migrauit. Sepultus in Ecclesia Vexionensi, quam ipse Angelica visione monitus erigendam curauerat, multisque miraculis clarus, in Sanctorum numero n relatus est.

M. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 27.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homin peregre proficisciens, voca-

In festo S. Sigfridi Episcopi & confessoris.

11

vocauit seruos suos , & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

Ex Homil. 96. in Matth.

T Alenta hic pro eo quod vnuusquisque facere potest, accipimus, siue au^toritate protegere, siue pecunijs iuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodess^e queas. Nemo secum dicat, Cum vnum talentum habeam, n*il* possum efficere: potest profecto ex vna re sola comprobari. Non es pauperior illa vidua, non es Petro atque Ioanne rusticior: qui quamvis rudes simul atque illiterati fuerint, quoniam magno studio communem utilitatem complexi fuerant, celorum Principes facti sunt. Quippe nulla res Deo gratior est, quam ut vniuersam vitam ad commune commodum conferas.

R. O charitas veneranda, qua ferues Christi athleta, * Dum hostibus poscis veniam, Regnique celestis gloriam. **V.** Fide plenus & mento, gregem commendam Domino. Dum hostibus.

Le^ctio vii.

I Dcirco ratione atque oratione nos Deus decorauit, mente & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, vt his omnibus & nos ipsos & proximos tutemur: non enim ad agendas gratias solummodo confert oratio, verum etiam ad docendum & admonendum perutilis est. Qua in re si ea diligenter vtemur, Dominum; si vero in contrarijs, diabolum imitabimur. Nam & Petrus, quandoquidem Christum continebat, quasi ea dicens quae Patris sunt, beatificabatur:

quod autem crucem horrebatur atque repellebat, quasi ea quae diaboli sunt sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratio ne crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus?

R. Immenso Salvatoris amore feruebas, o Sigfride, dum patriam pro eius affectu reliquisti atque mundi gloriam, ideo audire meruisti: * Posside Regnum tibi paratum ab origine mundi. **V.** Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Veni benedicte Patris mei. Posside, Gloria. Posside.

Le^ctio ix.

E A ergo loquamur, quae Christi verba esse confessim cognoscuntur. Nec enim cum dixero, Surge & ambula; neque cum dixero, Tabitha surge; tunc solùm Christi verba loquor: verum etiam multò magis, si contumelijs agitatus benedixero: si oppressus iniuria, pro opprimentibus orabo. Sic ille contumeliantibus respondebat, dicens: Ego dæmonium non habeo. Et rufus: Si male locutus sum, testimonium prohibe de malo. Si hoc pacto tu quoque respondes, si ad emendationem proximi loqueris, linguae illi lingua tua simillima est. Hæc non ego, sed ipse Deus confirmat. Qui separauerit pretiosum à vili, is quasi os meum erit. Cum igitur lingua tua sit Christi, & os tuum Patris fiat, & sancti Spiritus templum sis; quis honor, quod decus maius hoc excogitari poterit? Non si ex auro os tibi conficeretur, non si gemmis construeretur, ira præfulgeret, vt tunc hoc humilitatis ornato resplenderet.

T e Deum laudamus.

A 6

Ad

Ad Laudes, & per Horas, Antiphona. Ecce sacerdos, cum reliquis ut in Communi.

Hymnus.

Ignitus sancto Flamine,
Et Dei tactus famine
Sigfridus, gentem patriam
Postponens, adit Sueciam.
Illic Regem cum populo
Potatum fraudis poculo
Inuenit, & condoluit,
Quod hæc gens deos coluit.
Mox unum Deum prædicat,
Regi sic fatur & indicat:
Saluus erit, qui crediderit,
Baptizatusque fuerit.
Rigatus verbo fidei,
Olauus fit cultor Dei.
Cor præbens sancto dog-
mati,

Collum subdit Baptismati.
Sigfridus dictus signifer,
Et Dei verus armiger
Hostem stravit nequitia,
Gentem baptizans Suecias.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula.

Amen.

V. Iustum deduxit Dominus
per vias rectas. **R.** Et ostendit
illi regnum Dei.

Ad Benedictus. Antiphona.
Celebremus, charissime, deu-
tè recolendo annua beati Sig-
fridi solemnia, cuius sacra ho-
die anima felix cœli scandit fa-
stigia, cui Angelica occurrens
curia, eum gaudens suscepit
cum gloria.

**In secundis Vesperis, ad Ma-
gnum. Antiphona.** In signis
& virtutibus hostem supplan-
tat Sigfridus, dum tibi fi-
de gentium cateruam sociat:
nunc quia tecum regnat, Iesu
Christe, nos ipsius per merita,
tua saluet gratia.

DIE XXIII. MARTIL.
Sanctæ Catharinæ Vastanensis,
filia S. Birgittæ. Duplex.

Omnia de Communi Virgi-
num, præter ea quæ hic sunt
propria.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam
beatæ Catharinæ virginis
præclaris decoras meritis, &
gloriosis lætificas miraculis: con-
cede nobis famulis tuis, ut &
exemplis eius in melius refor-
memur, & patrocinio ab omni-
bus aduersis protegamus. Per
Dominum nostrum Iesum Chri-
stum Filium tuum.

In secundo Nocturno.

Ex Surio, tom. 2. Lectio iiiij.

Catharina Sueca, sancto-
rum parentum sancta fi-
lia, statim ab infantia
egregium castitatis futuræ spe-
cimen dedit, cum adhuc lactens
incontinentioris nutricis vbera
sugere omnino abhorruit. Post-
ea, iuncta licet coniugio fue-
rit, in virginitate tamen, viro
annuente, permanxit. Ambo ita-
que, castitate Deo promissa,
vigilijs, orationibus, ieiunijs, &
humicubationibus carnem suam
mortificabant, vestium simpli-
citate veram & voluntariam hu-
militatem profitentes; nec ab
ijs pietatis exercitijs vllis pro-
pinquorum & aliorum sermo-
nibus se retrahi passi sunt. Im-
mó vero exemplo sanctæ vir-
ginis multæ nobiles feminæ ve-
stium pompas & superfluum
cultum deposuerunt. Inter ce-
tetas vxor fratri eius Caroli,
Calmariæ in Ecclesia à beatissima
Virgine per visionem ad-
monita, ut Catharinam simpli-
citate imitaretur, vitam in me-
lius commutavit.

R. Propter veritatem.

Lectio

In festo S. Erici Regis & martyris.

Lectione v.

Cum vero beata Birgitta mater eius Romanam diuino ius-
su profecta fuissest ; Catharina quinto post anno , concedente
viro, secuta est matrem, annum
agens decimum & octauum: ubi
quam primum, relictis omnibus,
matre assistere, & pro Christo
quæque aduersa pati con-
stituit. Tanta illi à Deo collata
est eloquentia , ut eam Princi-
pes etiam & eruditus viri admir-
arentur. Et quia à principio
sentiebat inibi magnum soli
natalis desiderium, contra tenta-
tionem hanc , pia matris ora-
tione, disciplinæ remedio, & vo-
to obedientiae se muniuit. Vixit
igitur sub matris cura pef-
vinti quinq; annos, non secus ac
in monasterio, paupertate Christi
amore vtrò complexa, quam
Dominus miraculo aliquoties
cohonestauit: nam viles pannos
eius in oculis diuinitū, velut put-
pureos ac pretiosos , exhibuit.
Pro defensione vero castitatis
suae sanctum Sebastianum mar-
tyrem à Deo poposcit ; cuius
patrocinio deinceps à multis
periculis liberata est.

Dilexisti.

Lectione vij.

Erga pauperes & afflitos
summa afficiebatur miseri-
cordia. Silentium summopere
amat : si quando loquebatur,
narratio eius fuit in præceptis
Altissimi. Quocumq; mater pro-
fecta fuissest, venerabilis virgo illi
vbique adfuit. Sacra loca omnia
& Dominicum sepulchrum Ie-
rosolymis cum ea inuisit. Ma-
tre vero mortua , corpus eius
detulit in Sueciam , confluente
ad sacras illas reliquias deuote
exotulandas vndique inume-
ra populi multitudine. Quæ cùm
in monasterio Vastanensi depo-

sitæ multis cœpissent coruscare
miraculis, Catharina à Rege &
Proceribus iterum Romanam mit-
titur , vt sanctæ matris suæ in-
ter Sanctos relationem procura-
ret. Eo sancto labore per quin-
quennium diligentissimè functa,
ad monasterium Vastanense re-
uertens , Tiberinæ inundationis
repressione , vexatorum à da-
monio liberatione, elisorum &
contractorum sanatione, multi-
que alijs miraculis clara , quiet-
uit in pace anno Domini millesimo
trecentesimo octogesimo
primo, vndeclimo Kalendas Apri-
lis, pridie Annuntiationis Do-
minicae.

B. Afferentur Regi.

In tertio nocturno , Homilia
S. Ioannis Chrysostomi in Euau-
gelium , Accesserunt ad Iesum
Pharisei. de Communi Virginu.

DIE XVIII. MAI.

In festo S. Erici Regis & mar-
tyris. Duplex.

Ad Vesperas, Aña, Sancti tui.
Domine. cum reliquis de Com-
muni Martyrū tempore Pascha-
li. Psalm. Dixit Dominus cum
reliquis de Dominica: & loco
vltimi, Psalmus. Laudate Domi-
num omnes Gentes.

Capitulum. Sap. 5.

Stabunt iusti in magna con-
stantia ad iersus eos , qui se
angustiauerunt , & qui abstu-
lerunt labores eorum.

Hymnus.

A Dest dñs Iætitiae,
Fulget Erici gloria ;
Rex & Patronus Sueciae
Cæli petit palatia.

Quem vernantem virtutibus
Sublimat sceptro regio
Plebs læta cum Principibus,
Concordi desiderio.

Maceratur ieconijs
Sacrum Sancti corpusculum,

In festo S. Erici Regis & martyris.

Velatusque cilicis.
Hoc Christi tabernaculum.
Miniistros Rex magnificus
Cultus Dei multiplicat,
Vt Salomon pacificus,
Et templa reædificat.
Scuto munitus fidei,
Tela repellens hostium,
Ad Regnum Dei prouehi
Meretur per martyrium.
Per huius Sancti merita,
Iesu Redemptor omnium,
Dimitte nobis debita,
Et da perenne gaudium. Amen.
Y Sancti & iulti in Dño gaude-
t, alleluia. **N** Vos elegit Deus
in hereditatem sibi, alleluia.

Ad Magnificat, Antiph. Aue
Martyr pretiose, miles Christi
gloriose, aue Regum gloria, ô
Eric Rex Suecorum, posce no-
bis peccatorum veniam, & gau-
dia, alleluia. **Oratio.**

Deus, qui beato Erico Regi
& martyri tuo, victoriæ
palmam & cælestis Regni glo-
riam contulisti: fac nos, quæ-
sumus, eius meritis & inter-
cessione, cuncta nebis aduer-
santia vincere, & coronam glo-
riæ in cælis feliciter obtinere.
Pet Dominum nostrum.

Ad Marutinum, omnia dicun-
ter de Communi Martyrum
tempore Paschali, exceptis ijs
quaæ hic propria assignantur.

Hymnus.

Hymnum nouæ lætitiae
Noua depoescunt omnia;
Martyr Ericus hodie
Noua potuit gloria.
Hic, vt Elias, impiam,
Exponens se certamini,
Expugnat idolatram,
Zelans pro lege Domini.
Ecclæsiam Catholicam
Dilatat, gentem Finnonum.
Rex ad fidem Dominicam.
Trahens à cultu dæmonum.

Agnellus innocèntiæ
Dum sustinet martyrium,
Deo placentis hostiæ
Consummat sacrificium.
Sancti sacrato sanguine
Sua contingens lumina,
Diu priuata lumine
Illuminatur femina.
Per huius Sancti merita,
Iesu Redemptor omnium,
Dimitte nobis debita,
Et da perenne gaudium. Amen.

In primo Nocturno, Aña.

Rex erat Ericus humiliæ, deuo-
tus, honestus, prudens, muni-
ficus, patiens, pius, atque mo-
destus, alleluia.

Psalmi de Communi.

Lectiones primi Nocturni de
Scriptura.

In secundo Nocturno, Aña.
Correxit Sueciæ leges, seruite
coëgit Christo perfidæ gentes,
quas ense subegit, alleluia.

Psalmi de Communi.

Ex Annalibus Sueticis.

Lectio iii.

Clariſſimum Regni Sue-
ciæ lumen Ericus, Ia-
duardi nobilissimi patris
optimus filius, ab ineunte æta-
te in timore Domini educatus
est. Christina deinde Ingonis
Regis filia, Philippi nepte, vxo-
re accepta, factus est cum ea
omnibus præclarum virtutis ex-
emplar; ita vt Regno vacante,
patriaque in maximis periculis
constituta, à Principib[us] terræ
& omni populo, magno con-
sensi in Regem electus fuerit.
In throno Regio constitutus,
totam suam curam & solicitu-
dinem contulit primò ad cultus
diuini amplificationem, & Ec-
clesiarum ædificationem: dein-
de ad populi in pace guverna-
tionem, iustitiæque administra-
tionem, tum ad hostium fidei

& Regni expurgationem. Ad quæ feliciter perficienda, diuina prouidentia natus erat sanctissimæ vitæ & summæ eruditionis virum, beatum Henricum Episcopum Vpsalensem, ad cuius consilia & pias exhortationes pius Rex omnem vitæ suæ cursum iuxta præceptum Domini ordinabat.

R. Lux perpetua.

Lectio v.

Erant tum Finnones non solum Regni, sed etiam fidei Christianæ pertinacissimi hostes: qui continua bella & dannosa Sueonibus inferebant. Eos Rex sanctus, collecto exercitu, non solum Regno adiunxit, sed etiam cura beati Henrici Episcopi Vpsalensis, ad fidem Christi adduxit. Superatis autem hostibus, in Sueciam reuersus, velut alter Salomon omne studium ad Ecclesiæ erigendas & dotandas conuertit: ac inter cetera suæ pietatis & magnificientiarum opera, Ecclesiam Vpsalensem ab antiquis Regibus fundatam, opere magnifico ac planè Regio consummavit. Iustitia & pacis inter subditos, ac defensionis pauperum ab oppressione, primam & sumمام rationem habuit. In subditos autem suos adeò clemens & benignus extitit, ut tertiam partem poenarum, quæ ad Reipublicæ fiscum ex consuetudine pertinebat, sibi offerentes, pia obiurgatione sèpè repulerit, dicens: Mihi mea sufficiunt, vobis vestra seruare.

R. In servis suis.

Lectio vi.

Dicitur huius Regis sanctitas, in orationibus, ieiunijs, vigilijs, in castigatione carnis, in

cilicijs, in eleemosynis. Apud eum inopes, infirmi, & calamitosi, & quacumque aduersitate afflicti, præsentissimam semper consolationem inuenierunt. Quæ opera eius quoniam non erant de mundo, mundus eum odio habere coepit. Quidam enim Sueciae Primates, in necem eius conspirantes, Henricum Scatelerum Sueonis Danici filium, cognatum eius, contra illum concitauerunt. Qui Ericum apud Vpsalensem Metropolim, ipso die Ascensionis Domini, sacrificium Missæ audientem, ex improviso cum exercitu adorcus est. Pius Rex, quamvis à suis moneterur, hostem iam propè adesse, nonnisi tamen finito sacrificio illi obuiam processit. Cum quo strenue decertans, regnum terrenum celesti & semi-paterno Regno commutauit, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, ibidem in Vptalensi Ecclesia sepultus. Per quem Deus multa ad multorum salutem miracula operatur.

R. Filiae Ierusalem.

In tertio Nocturno. A. f.
Digne promeruit Sanctis mortuis sociati, qui Domino studevit viuens vere famulari, alleluia. **Psalmi de Comuni.**

Lectiones de Homilia S. Augustini Episcopi in Euangelium.
Ego sum vitis, vos palmitæ.
virin Communi Martyrum tempore Paschali.

R. vii. Pax patræ, decus Ecclesie, vitijs inimicus, *Rex Sueciae cælos hodie concendit Eri-
cus, alleluia. **V.** Pro fidei fer-
uore Dei dilectus amicus. Rex Sueciæ.

R. viii. O miles Christi, qui martyrio meruisti Sanctis con-
iungi,

iungi, iunctus diademate fungi
victor regali, * Fidei merito
speciali, alleluia. ¶ Perduc qui
Christum laudant ad gaudia vi-
tae. Fidei merito. G. Iota. Fidei.

A D L A V D E S,
Hymnus.

L Audes ad laudes iungite,
Nec desit laus in laudibus,
Pro nouo Christi milite
Cæli coniuncto ciuibus.
O bsidetur ab hostibus
Ascentionis tempore
Sanctus Ericus, laudibus
Dei vacans summopere.
C rucem sibi Dominicam
Rex imprimens salubriter
Vadit contra maleficam
Cateruam magnanimiter.
N ouus David Viriliter
Agens, dum mundo moritur,
Sanctam Sion feliciter
Regnaturus ingreditur.
V icror regnans in æthere,
Magnis fulgens miraculis,
Miro vittatum genere
Multis succurrit populis.
P er huius Sancti merita,
Iesu Redemptor omnium,
Dimitte nobis debita,
Et da perenne gaudium. Amen.
V. Pretiosa in conspectu Domini,
alleluia. ¶ Mors sanctorum eius, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Corona fulgens aurea, flos di-
gnitatis Regiae, sanctus Ericus
ignea vicit tela nequitiae, sic
victor vernans laurea, Rex &
patronus Sueciæ, felix de domo
lutea transit ad Regnum glo-
riæ, alleluia.

In ij. Vesperis, ad Magnificat,
Aha. Miles Regis gloriae, tutor
innocentium, malleus perfidiae,
Rex Ericus, brauium apprehe-
dens in agone, ense cæsus hos-
tium, nobis placata Martyr bone
Iesum Dei Filium, alleluia.

D I E X I I . I V N I I .
In festo sancti Æschili Episcopi
& martyris. Duplex.
Ad Vesperas, Antiph. Qui me
confessus fuerit, cum reliquis de
Communi vnius Martyris, pta-
ter ea quæ hic assignantur.

Capitulum. *Iacob 1.6*

B Eatus vir, qui suffert tenta-
tionem: quoniam cum pro-
batus fuerit, accipiet coronam
vitæ, quam repromisit Deus di-
ligentibus se. Hymnus.

I Am dies adest celebris,
Noua resultant cantica:
Quia fugatis tenebris,
Regnat fides Catholica,
G aude parens Britannia
De canticæ prolis munere:
Exulta magis Suecia
De nouo lucis fidere.
Æ schilus signis emicat,
Ritus confutans gentium,
Christum auctorem prædicat
Et Saluatorem omnium.
V erbis, exemplis claruit,
Saluti studens omnium:
Tandem mortem sustinuit,
Migrans felix ad gaudium.
T ibi sit laus & gloria, ¶
Corona triumphantium:
Nos Æschili prece pia
Duc ad cæli palatium. Amen.
V. Gloria & honore coronasti
eum Domine. ¶ Et constitueristi
eum super opera manuum tua-
rum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Æschile flos Præsulum, pater
pietatis, Clericorum speculum,
doctor veritatis, tuæ replet sæ-
culum fama sanctitatis: iunge
tuum populum ciuibus beatis.

Oratio.

D Eus, qui beatum Æschilum
Pontificem tuum, pro fidei
dilatatione, martyrium subire
voluisti: præsta, quæsumus; ut
omnes qui eius implorant au-
xilium,

xilium, pétitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum nostrum.

AD M A T V T I N V M.

Hymnus.

A Eschili pro victoria
Gaudet Mater Ecclesia,
Christi suffulta gratia
Deuota fac tripudia.
P ius, deuotus, humilis,
Viuendi formam præbuit;
In lege Dei oculis,
Verbis, exemplis claruit.
In fide luxit omnibus
Per signa, per prodigia;
Mundum calcans sub pedibus
Manum misit ad fortia.
Mors corporis contemnitur,
Dum Christi mors attenditur:
Vincit ergo dum vincitur:
Magis vincit cùm moritur.
Tibi sit laus & gloria,
Corona triumphantium:
Nos Æschili pree pia
Duc ad cæli palatum. Amen.

In j. Nocturno leguntur Lectio-
nes de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Annalibus Suecicis.

Lectio iiiij.

A Eschilus Anglus, beati
Sigfridi consanguineus
a puero illecebris huius
vitæ contemptis, totum se in a-
morem Dei dedit, ita ut sanctum
Abraham imitatus, exierit de
terra sua & de cognatione sua,
ac in Sueciam, post prædicatum
in ea a beato Ansgerio Euange-
lium ad idola colenda relapsam,
beatum Sigfridum securus fue-
rit. Qui cùm Christianam fidem
apud Gothos & Sueones inde-
feso animo prædicaret, bonus-
que Christi odor omnibus esset:
apud Regem Suecæ Ingonem,
omnesque bonos summam ve-
nerationem sibi conciliauit, nec
multò post, omnium consensu,

in Episcopum Ecclesiæ, quæ vo-
catur Nordhancog, electus, a
beato Sigfrido consecratus fuit.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

P ositustamquam lucerna su-
per candelabrum in domo
Domini, magis ac magis omni-
bus qui ingrediuntur, lumen
præbete curabat. Multi ad eius
prædicationem fana & delubra
subuertere, lucos succidere, &
noua Deo altaria erigere coe-
perunt; fauente & adiuuante
Rege Ingone. Sed ijs Christia-
na fidei incrementis inuidens sa-
tan, quorundam peruerorum
animos contra Pontificem, ac
Regem etiam ipsum, concitauit.
Quocirca nefarij homines In-
gone Rege Christiano interfe-
cto, Sueonem, cogimento
Sanguinarium, hominem a Chri-
stiana religione alienum, elege-
runt: volentes totam religionis
stirpem a radice penitus evellere,
Quorum impijs conatibus san-
ctus Pontifex magno animo ob-
stitit. **R**. Desiderium animæ.

Lectio vij.

P ortò cùm cerneret se dictis
nil proficere, fide inuocauit
Dñm, ut faceret suæ ostensionis
evidentiam. Et intonuit de cælo
Dñs, grandineque, niue, pluia,
aras immolantium subuertit; Epi-
scopum verò sanctū ne vna qui-
dem pluviæ gutta attigit. Quo
viso filij Belial furore repleti,
impetum vnanimiter in Sanctum
fecerunt. Vnus caput eius lapi-
de percussit: alter securi congre-
git: cadentem in terram sanguine
perfusum alij rapuerunt, &
ad regem traxerunt, dicentes,
magicis artibus ad iniuriam deo-
rum & regis ipsum àera con-
citasse. Sententia igitur contra
eum lata a Rege, ipso die pa-
tionis

fionis Domini, ut quondam Stephanus, lapidibus obrutus, ex hac vita in æternam transiit. Cuius corpus à fidelibus honorificentissimè sepultum in Ecclesia ad memoriam eius ædificata, multis coruscat miraculis.

R. Stola iucunditatis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Ioannem.

Lectio vii. Cap. 10. b

In illo tempore: Dixit Iesus Phariseis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et reliqua. Homilia sancti Gregorij Papæ.

Homilia 17.

Ad messem multam operatijs pauci sunt; quod sine graui mœrore loqui non possumus. Quia etsi sunt qui bona audiunt, deinceps tamen qui dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator: quia officium quidem facetdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Fructus quippe sanctæ Ecclesie in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus.

R. Gaudet felix Suecia, lauda Saluatorem, quia de Britannia tibi dat Pastorem. * Qui vas plenum gratia Christi dat odorem.

V. Erranti tibi sit diuinum dux in amorem. Qui vas. **Lectio vii.**

Pensemus ergo cuius damnationis sit, sine labore hic percipere mercedē laboris. Pensamus cuius sit apud Deum criminis peccatorum pretium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere. Pensamus ergo: qui vñquam per linguam nostram conuersi? qui de peruerso suo opere, nostra incre-

patione correpti, pœnitentiam egerunt? quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis auaritiam, quis superbiam declinavit? Pensamus quod lucrum Deo facimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: Negotiamini dum venio.

R. Transit ab exilio mundi rubricatus, in cœli rosario dignè transplantatus, * Bino pollens præmio gaudet laureatus.

V. Qui gregis sui ante Deum excuset reatus. Bino pollens. **Gloria Patri. Bino.** **Lectio ix.**

Ecce iam venit, ecce dé nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot eius conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ distinctionis diem, quo iudex veniet, & rationem cum seruis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus, ostendetur. **T**e Deum.

A D L A V D E S,

Hymnus.

Svmmi præcepta Domini Contempserunt malevoli, Et necem suo Præfuli Parauerunt increduli.

Fercusius est lapidibus Aeschilus, sicut Stephanus, Et sic pro occisoribus Deum orat humillimus.

Indulge, ait, miseris, Pater, dimitte vitia, Christe emunda crimina Collata indulgentia.

D ei.

Dei Martyr egiegi.

Pro nobis Deum postula,

Vt hunc queamus colere

In sempiterna sæcula. Amen.

Ver. Iustus ut palma florebit.

R, Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus. Antiphona.

O Præsul mitissime, patris lucerna, lux errantis animæ, deuios gubernæ, ductor gregis optime, nos duc ad superna, vbi pascat intime gregem lux æterna. **O**ratio. D eus qui beatum Aeschilum. 16.

In iij. Vesperis. ad Magnificat.

Afa. Vale pater patriæ, fidei zelator, turpis idolatriæ felix triumphator, nobilis Ecclesiæ Doctor & fundator, tuæ sis familiæ iugis consolator.

IN MENSE IULIO

Celebratur Festum Sanctorum Patronorum Regni Suecicæ Dominica proxima post Octauam SS. Petri & Pauli Apostolorum.

AD VESPERAS,
Aña. Sancti per fidem cum reliquis de Laudibus. 23. Psal-
mus. D ixit Dominus. cum reliq. de Dominicæ: & loco vlti-
ni, Psalm. L audate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Eccl. 44.

LAudemus viros glorioſos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dñs magnificentia sua à sæculo.

Hymnus.

Placare, Christe, seruulis, Quibus Patis clementiam

Tu ad Tribunal gratiæ

Patrona Virgo postulat.

Et vos beata, per nouem

Distincta gyros Agmina:

Aniqua cum præsentibus,

Futura damna pellite.

A postoli cum Vatibus,

Apud seuerum Iudicem,

Veris reorum fletibus

Exoscite indulgentiam;

Vos purparati Martyres,

Vos candidati præmio

Confessionis, exules

Vocate nos in patiam.

Chorea casta Virginum,

Et quos Eremus incolas

Transmisit astris, Cælitum

Locate nos in sedibus.

Auferte gentem perfidam.

Credentium de finibus,

Vt vnuſ omnes vnicum

Oule nos Pastor regat.

Deo Patri sit gloria,

Natoque Patris vnico,

Sancto simul Paraclito,

In sempiterna sæcula. Amen.

V. Lætamini in Domino, & ex-

ultate iusti. **R**. Et gloriamini

omnes recti corde.

Ad Magnificat, in vtrisq; Vesp.

Afa. Recordare Domine glo-
riosæ mattis tuæ Mariæ, & dile-
ctorum seruorum tuorum Ioan-
nis Baptiste, Laurentij, Ansga-
rij, Sigfidi, Aeschili, Davuidis,
Henrici, Erici, Botuidi, Hele-
nae, Birgittæ, Catharinæ, & alio-
rum sanctorum Patronorum no-
strorum: & ne auferas miseri-
cordiam tuam à nobis.

Oratio.

INfirmitatem nostram, quæſu-
mus Domine, propitius re-
spice: & mala omnia, quæ pro
peccatis nostris iuste metemur,
sanctorum tuorum huius Re-
gni Patronorum intercessione
clementer auerte. Per Dñm.

Deinde fit commemor. Dñicx.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Christum Regem per sanctos

Patronos nobis prædicatum,

* Venite adoremus. Psalm. V e-

nite, exultemus. **H**ymin. P laca-

re, Christe, seruulis, ut suprà.

In primo Nocurno. Aña.

Nouit Dominus viam iustorum,

qui

In festo SS. Patronorum Regni Sueciz.

qui in lege eius meditantur die ac nocte. **Psalmus.** Beatus vir. cum reliquis, ut in felicem omnium Sanctorum. **Aña.** Misericordia Dominus Sanctos suos, & exaudiuit eos clamantes ad se.

Psalm. C omne inuocarem. **Antiphona.** Admirabile est nomen tuum Domine: quia gloria & honore coronasti Sanctos tuos, & constitueristi eos super opera manuum tuarum. **Psalm. D** omine Dominus noster. **V.** Laetamini in Domino, & exultate iusti. **R.** Et gloriamini omnes recti corde.

De libro Ecclesiastici.

Lectio i.

Cap. 44.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificencia sua a saeculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua praecliti, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophatarum, & imperantes in praesenti populo, & virtute prudentiae populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturatum.

R. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, & adorate Dominum: * Quia hodie descendit lux magna in terris. **V.** Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus & laetemur in ea. Quia hodie.

Lectio ii.

Homines diuinitates in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in dominibus suis. Homines isti in generationibus gentis sue gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt no-

men narrandi laudes eorum: & sunt quotum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis.

R. Beata es virgo Maria, Dei genitrix, quae credidisti Domino: perfecta sunt in te quae dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. **R.** Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede. **Lectio iii.**

Sed illi viii misericordia sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, & in testamento stetit semen eorum: & filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum uiuit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrant populi, & laudem eorum nuntiet ecclesia.

R. In conspectu Angelorum psallam tibi: * Et adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Dñe. **V.** Super misericordia tua & veritate tua, quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum. Et adorabo. **G**loria Patri. Et adorabo.

In secundo Nocturno, Aña.

Domine, qui operati sunt iustitiam, habitabunt in tabernaculo tuo, & requiescent in monte sancto tuo. **Psalmus.** Domine, quis habitabit?

Antiph. Haec est generatio querentium Dominum, querentium faciem Dei Iacob. **Psalm.** Domini est terra.

Aña. Laetamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. **Psalm.** Beati quo-

ti quorum. **V** Exultent iusti in conspectu Dei. **R** Et delectentur in latitia.

Lectio iiiij.

Adest nobis, dilectissimi, Regni Suecæ Patronorum præclara festiuitas, diuinorum operum plena miraculis, & spiritualibus gaudiorum referta mysterijs. In qua, missis ad nos cælestis Paterfamilias nuntijs, ad præparatas æterni conuiuij delicias inuitantibus, diuinæ miserationis intuitu nos respicere dignatus est. Anno enim Domini octingentesimo vigesimo sexto Ludouicus Caroli Magni filius, Imperator Christianissimus, cum iam per patrem Saxonia lumen fidei receperisset, sollicitè studuit Suecorum & Danorum gentem, cum alijs maritimis regionibus, adiungere fidei Christianæ. Quod tantæ pietatis officium venerabilis Pater Ansarius cum suo collega Vittimaro, magno animo suscepit. Benigne autem suscepimus à Rege Sueonum Berone in ciuitate Birca, ccepit cum fiducia prædicare verbum Dei, multiq[ue] credentes in Christum baptizati sunt: inter quos Praefectus loci Engarius, seu Ericus, fundata in hereditate sua Ecclesia, multos ad fidem conuertebat. His in Suecia per gratiam Dei patratis, Ansarius in Hamburgensem Eccleiam se contulit, relinquens in loco suo apud Bircam Simonem Pontificem, & Nitardum Presbiterum: qui Christianam doctrinam prædicantes, glorioſo martyrio vitam consummarunt.

R Präcursor Domini venit, de quo ipse testatur: * Nullus maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. **V**. Hic est Pro-

pheta, & plus quam Prophe-ta, de quo Saluator ait. Nullus maior.

Lectio v.

Mortuo, beato Ansario, mad idola sua iterum reueriti cœpit, factaque sunt nouissima Suecæ peiora prioribus. Quod cernens cælestis ille agricola, post centum ferè & quadraginta annos excitauit cor sancti Sigfridi Episcopi Angli, ei que viros religiosos & sanctos tres nepotes, & beatum Aſchilum consanguineum eius, adiunxit socios. Quibus prædicantibus Rex Olauus Skothnung dictus, in Christum creditus, & multas Ecclesias in Regno Suecæ erexit. Postquam vero isti per palmam martyrij ad gloriam transiissent æternam, beatus Dauid vir religiosus, mortem pro Christo non reformidans, in Sueciam ab Anglia venit, ut nouos in fide confirmaret, & aliquid gratiae spiritualis illis impertiret. Procedente deinde tempore, cum adhuc pars aliqua restaret eorum qui non credebant, beatus Henricus à Britannia calitus destinatur: Upsilonensis primus Antistes, posteà Finlandensis Ecclesiæ Apostolicus fundator & institutor: in qua excolenda ad mortem usque finaliter laborauit.

R. Ilti sunt, qui viuentes in carne, plantauerunt Ecclesiam sanguine suo: * Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. **V**. In omnem terram exiuit tonus eorum, & in fines orbis terræ vreba eorum. Calicem.

Lectio vi.

Plantata vero in Regno Suecæ fide Catholica, & iuxta Apostolicam traditionem magisterio prædictorum venerabili-

tabilium Patrum Ecclesijs institutis, flores apparuerunt in terra nostra, non iam aliunde adducti, sed nati, & in sanguinis germine procreati, qui virtutum exemplis Sueticam mirum in modum illustrarunt Ecclesiam. Hi sunt, Deo dilectus Rex sanctus Ericus, & vir venerandus, beatus Botuidus: qui triumphali coronati martyrio, beatas cælorum mansiones possederunt. Hos sequuntur insignes, viduæ, vita & moribus praedicande, beata videlicet Helena Westrogotha, quæ & ipsa meruit martyrio coronari: beata quoque Birgitta femina misifica, multarum nationum testimonio prædicata, cum quæ locutus est Deus, & ostendit illi secreta sua. lungitur his in gloria felix & beata Catharina, eiusdem sanctæ Birgittæ filia; quam ab infantia omnipotens Deus prodigijs & miraculis multis decorauerat, & usque in hunc diem non desinit decorare.

R. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, * Mercedem laboris ego reddam vobis. **V.** Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. **G**loria. Mercedem.

In tercio Nocturno, Aña.

Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum: ecce oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. **Psalms.** Benedicam Dominum in omni tempore. **Aña.** Domine spes sanctorum. & turris fortitudinis eorum, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum, & habitabunt in tabernaculo tuo in secula. **Psalms.** Exaudi Deus deprecationem. **Aña.** Qui diligitis Domi-

num, lætamini in Domino, & confitemini memorie sanctitatis eius, **Psalms.** Dominus regnauit, exultet. **V.** Iusti autem in perpetuum viuent. **R.** Et apud Dominum est merces eorum.

Lectione sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectione viij. **C**ap. 5.

In illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua. Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 1. in Festo omnium Sanctorum.

Festivitatem hodiernam sanctorum Patronorum cum omni deuotione dignum est celebrati. Nimirum si magna videotur & est beati Petri solemnitas, seu beati Stephani, aut cuiuslibet ceterorum; quanta ista est, quæ non unius tantum est, sed universorum? Verum non ignoratis, fratres, sæcularibus id motis esse, ut diebus festis festiva sibi conuiua patient: & quanto fuerit solemnitas clarior, tanto splendorius epulentur. Quid ergo? Nonne & his qui converuntur ad cor, cordis deliciae sunt querendæ, & spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea iam paratum est conuiuum nostrum, fratres: iam cocta sunt omnia, & epulandi tempus aduenit.

RSint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dñs vester venturus sit. Et vos similes. **L**ectione viij.

Dignum est enim ut prius anima satietur, quod hæc portio sine dubitatione & siue com-

comparatione sit potior; præser-tim cùm Sanctorum solemnita-tes manif stum sit ad animas ma-gis quām ad corpora pertinere, & qua animarum sunt, animæ plus acceptent: quippe naturali quadam eis cognitione coniun-ctæ. Quibus propterea quoque Sancti iti compatiūtur amplius, propterea magis desiderant ani-marum bona. & plus earum refectionibus delestantur: quo-niam & ipsi nobis similes fuēre passibiles; & ipsi peregrinatio-nis huius & exilij miserabilis deplorauere molestias; & ipsi grātia huius corporis onus, & tumultus seculi, & tentationes experti sunt inimici. Nihil ita-que dubium, quin gratior ei sit & multo acceptabilior illa fe-stivitas, quæ intenditur epulis animarum, quām sit ea quæ ce-lebratur à sacerdibus, curam carnis perficientibus in deside-tijs voluptatum.

B. Media nocte clamor fa-etus est: * Ecce sponsus ve-nit, exite obuiām ei. **V.** Pru-dentes virgines aptate vestrās lampades. Ecce sponsus. **Gloria Patri.** Ecce sponsus.

Lectione ix. de Homilia Eu-an-gelij Dominicæ currentis.

A D L A V D E S,
& per Horas, Aña.

Sanceti per fidem vicerunt re-gna, operati sunt iustitiam, adepti sunt recompensationes. **Psal-mus.** Dominus regnauit, cum reliquis Aña. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charita-te non fīta, & dedit eis glori-am sempiternam: quorum do-trina fulget Ecclesia, ut sole luna. **Antiphona.** Cum palma ad regna peruererunt, sancti, coronas decoris meruerunt de manu Dei. **Aña.** Fulgebunt iu-

sti, & tamquam scintillæ in arun-dineto discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur po-pulis. **Antiphona.** In cælestibus re-gnis sanctorum habitatio est, & in æternum requies eorum.

Capitulum. *Ecclesi. 24.*

Laudemus vitos glorioſos, & parentes nostros in genera-tione sua. Multam gloriam fe-cit Dominus magnificencia sua à ſeculo.

Hymnus.

S Alutis æternæ Dator Iesu redemptis subueni: Virgo Parens clementiæ Dona ſalutem feruuliſ.

Vos Angelorum millia, Patrumque cœtus, agmina Canora Vatum: vos reis Precamini indulgentiam.

Baptista Christi prævius, Summiq[ue] cœli Clauiger, Cum ceteris Apostolis Nexus refoluant criminum.

Cohors triumphans Martyrum, Almus Sacerdotum chōpus, Et Virginaliæ caſtitas

Noſtros reatus abluant.

Quicumq[ue] in alta ſiderum Regnatis aula Principes, Fauete votis ſupplicum, Qui dona cœli flagitant.

Virtus, honor, laus, gloria Deo Patri cum Filio, Sancto ſimul Paraclito In ſæculorum ſæcula. Amen.

V. Exultabunt Sancti in gloria.

R. Latabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus. Antiphona.

Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi vestigia ſunt ſecuti: & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt, idè cum Christo exultant sine fine.

Oratio.

Infirmitatē nostrām, quæ ſumus Dñe, propitius respice: & mala omnia, quæ pro pecca-tis noſtris iuste meremur, sanctorum

ctorum tuorum huius Regni Patronorum intercessione clementer aucte. Per Dominum.

Deinde commemoratione Dominicæ currentis.

Ad Terriam, Capitulum. Laudemus. ut supra.

R. br. Lætamini in Dño, * Et exultate iusti. Lætamini. ♀ Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria. Lætamini. ♀ Exultent iusti in conspectu Dei. R. Et delectentur in lætitia.

Ad Sextam, Capitulum.

Ecli. 44 b

Filiij eorum propter illos in æternum manent: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur.

R. br. Exultent iusti. * Inconspictu Dei. Exultent. ♀ Et delectentur in lætitia. In conspectu. Gloria. Exultent. ♀ Iusti autem in perpetuum vivent. R. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Nonam, Capitulum.

Ecli. 44 b

Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum bunt et ecclesia.

R. br. Iusti autem, * In perpetuum vivent. Iusti. ♀ Et apud Dñm est merces eorum. In perpetuum. Gloria. Iusti. ♀ Exultabunt Sancti in gloria. R. Lætabuntur in cubilibus suis.

P. In ij. Vesp. Antiph. Sancti per fidem, cum reliq. de Laudibus. Psalm. Dixit Dñs. cum reliquis de Dñica: & loco ultimi, Psalm. Credidi. Capitulum & Hymnus ut in ij. Vesp. 19.

♀. Exultabunt Sancti in gloria.

R. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Recordare Dñe gloriosæ matris

tuae Matie, & dilectorum seruorum tuorum Ioannis Baptiste, Laurentij, Ansgarij, Sigfridi, Æschili, Davidis, Henrici, Erici, Botuidi, Helenæ, Birgittæ, Catharinae, & aliorum sanctorum Patronorum nostrorum; & ne auferas misericordiæ tuam à nobis.

Oratio. Infirmitatem nostram.

Commemoratio Dominicæ.

DIE XV. IVLII.
In festo sancti Davidis Abbatis.

Oratio.

Intercessio nōs, quæsumus Domine, beati Davidis Abbatis commenderet: ut quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio aequamur. Per Dominum.

Lectio iii.

DAVID in Anglia nobilibus & Christianis parentibus natus, à puerò in scientia, & virtute probitate, & Christiana charitate proficiebat, adeò ut vniuersis quæ habuit in pauperes erogatis, Ordinem Cluniensem ingressus, in arctissima disciplina & abstinentia vitam duxerit. Hic audita morte sanctorum martyrum sancti Sigfridi nepotum, cupiens & ipse martyrij pro Christo particeps fieri, in Sueciam aduenit: atque ex consilio sancti Sigfridi apud Ecclesiam Seneingensem, in Wesmania sedem fixit. Vbi verbum Dei prædicans, multas iniurias & persecutiones passus est. Cum iam præ senio oculi eius ex frequentibus lacrymis in oratione fusis caligarent, radium solis per fenestram intrantem, paxillum esse existimans, in eo appendit chitonellas; quas seruus ut afferret missus, in radio solis inuenit pendentes. Ad extreum vir sanctus plenus dierum, & bonis operibus, ex hac vita ad vitam transiuit æternam. **T**e Detum.

DIE

In festo S. Botuidi martyris.

DIE XXVIII. IULII.

In festo S. Botuidi martyris.

Duplex.

Omnia de Communi vnius
Martyris, præter ea quæ hic
sunt propria.

Hymnus.

G Aude cælestis ciuitas,
Grata deponens cantica:
Botuidi clara sanctitas
Laude lucet magnifica.
L pretetur Sudermania
Tale producens lillum:
Congratuletur Anglia,
Tantum baptizans filium.
V erba Dauid, ne effluant,
Cordi curauit tradere:
Diuitiæ si affluant,
Nolite cor apponere.
I ob sancti memor operum,
Sectatur innocentiam:
Tobiæ patris pauperum
Secutus est clementiam.
P ost impios non abiit,
Nec appetit terrestria;
Sed onus leue subiit,
Regna perens cælestia.
O fortitudo Martyrum
Christi, Botuidi precibus
Optatum nobis brauium
Concedas in cælestibus. Amen.
V. Gloria & honore coronasti
eum Domine. **M.** Et constitui-
sti eum super opera manuum
tuarum.

Ad Magnificat, Antiphona.
Botuide tyro nobilis, victor
scandens de prælio, in morte ro-
sa similis, vita candenti lilio, nos
huius vitæ labilis latentes in
exilio, coniunge martyr subli-
mis Sanctorum domicilio.

Oratio.

C Ordibus nostris, quæsumus
Domine, vera ficei splen-
dor illuceat: & beati Botuidi
martyris cui salutaris intercessio
ab instantibus periculis nos de-
fendat. Per Dominum.

In i. Nocturno leguntur Lectio-
nes de Scripturâ occurrente.

In ii. Nocturno. Lectio iiiij.

B Otuidus in Regno Sueciæ
honestis, sed infidelibus
paréntibus natus, iuuenis
in Angliam negotiationis causa
profecetus fuerat: ubi à quodam
facerdote, singularis doctrinæ
& sanctitatis viro, hospitio re-
ceptus, non solum mysteria fidelis
Christianæ didicit, verum etiam
gratia Baptismi accepta, in disci-
plina vitæ & perfectionis Chri-
stianæ egregie instructus est. Re-
uersus in patriam gaudens, vt
quondam felix ille Eunuchus à
Philippo Diacono baptizatus,
multos incredulos ad fidem Do-
mini exemplis & salutaribus ex-
hortationibus adducebat; Dñs
cooperante, & sermonem con-
firmante multiplicibus signis.

M. Honestum fecit.

Lectio v.

C Vm enim die quadam can-
& us cum familiaribus suis
& viciniis ad capturam piscium
progressus fuisset, & à postfesto
re loci illius Bouino retia laxa-
re prohiberetur, nisi quicquam par-
tem piscium sibi promitteret;
beatus vir liti cedens, ad pro-
priam insulam pettexit: atq; ip-
se in genua procumbens ad ora-
tionem, famulis vt retia mitte-
rent, imperauit. Quo insistente
orationi, tanta piscium multi-
tudo extracta est, vt duas naues
implerent. Quod audientes illi
qui circa possessionem Bouini
tota nocte frustrâ laborarant, ad
virum sanctum properant, à quo
licentia imperata, naues suas
implerent piscibus: tantoque mi-
raculo permoti, ad prædicatio-
nem Botuidi crediderunt, & ba-
ptizati sunt.

M. Desiderium animæ.

B

Lectio

In festo S. Botuidi martyris.

Lectio vi.

Contigit autem ut Sclauum quemdam, quem à captiuitate redemptum ad gratiam Baptismi adduxerat, & libertate donauerat, per Gothiam in patriam suam reuertentem, securitatis causa magna charitate deduceret. Quo itinere desfatigatus, post orationes ad Deum factas, sub quadam arbore obdormiens, ab eodem ingratu homine secuiri crudeliter trucidatus, coronam iustitia à Dño iusto indice consecutus est. Cuius corpus à propinquis ducitu aus candidata à Deo, qui in Sanctis suis semper est mirabilis, cum magna fidelium consolatione repetitum, & in patriam delatum est. **B.** Stola iucunditatis.

In tertio nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Ioannem.

Lectio vii. Cap. 12. d

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini

Episcopi.

Ex Tract. 11. in Ioannem,

Ministrant Iesu Christo, qui non sua querunt, sed quæ Iesu Christi, hoc est enim, M sequatur, Vias ambulet meas, non suas, sicut alibi scriptum est: Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ambulauit ille, & ipse ambulare. Debet etiam si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de iæstinationi aliud ibi querere quam opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextra: id est, ut alienear intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui sic ministriat, Christo ministriat, recteque

illi dicitur. Cum vni ex ministris meis fecistis, mihi fecistis: nec tantum eaqua ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia bona opera propter Christum facta: tunc enim erunt bona, quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.

R. de Sodoma Lot exiens in monte seruat animam, David salvatur fugiens, Joseph euadit dominam: * Iustus currit petraniensis, ad Urbem munitissimam.

V. Pauperibus compatiens, in celo parat sapiens mansionem tutissimam. Iustus. **Lectio viii.**

Minister est Christi usque ad illud opus magnæ charitatis, quod est, animam suam pro fratribus ponere: hoc est enim pro Christo ponere: quia & hoc propter sua membra dilecturus est: Cum pro ipsis fecistis, pro me fecistis. De tali quippe opere etiam se ministrum facere & appellare dignatus est, ubi ait: Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam ponere pro multis. Hinc est ergo unusquisque minister Christi, unde est minister & Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit Pater eius honore illo magno, ut sit cum Filio eius, nec umquam deficiat felicitas eius.

R. O nardus odotifera, ægis fana corporibus, apis fructu mellifera, corda mulcens dulcoribus; * Precatus offer munera, Christo pro peccatoribus. **V.** O vua fructifera translata super æthera, numquam marcescens floribus. Precatus. **Gloria Patri.** Precatus.

Lectio ix.

Cum ergo auditis, fratres, Dominum dicentem: Vbi ego sum, ibi & minister meus erit:

erit: nolite tantummodo bonos Episcopos & Clericos cogitare, etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo, benè viuendo, eleemosynas faciendo, non men doctrinamque eius quibus potueritis prædicando: ut vnu quisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat, paternum affectionem suæ familie se debere. Pro Christo, & pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, horretur, corripiat, impendat bencvolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. Nam & illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrarunt: multi non Episcopi neque Cletici, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus; multi coniugati & coniugatae; multi patres matresque familias Christo ministrantes, etiam animas suas in eius martyrio profuerunt, & honorificante Patre coronas glorioissimas receperunt. **T**e Deum.

A D L A V D E S.

Hymnus.

Botuidi laudes colere
Deuotis decet mentibus,
Qui suæ preciis munere
Nos seruat à nocentibus.
Corpus arctat ieunijs,
Ut spiritum non deprimat;
Christi vacat obsequijs,
Ne vanitates hauit.
Sanctum reddit amabilem
Cunctis virtus sobrietas,
Pudicum, castum, stabilem,
Potus cibiisque parcitas.
Qui Martyrem magnanimum
Felicem post victoriam,
Ad verum vexit gaudium,
Ipsi canamus gloriam.

O fortitudo Martyrum
Christe, Botuidi precibus
Optatum nobis brauium
Concedas in cœlestibus. Amen.
Ver. Iustus vt palma florebit.
R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus. Antiphona.

O turris fortitudinis, candens nocte carbunculus, corona pulchritudinis, puræ myrræ fasciculus, columna rectitudinis, exercit & claudis baculus, noster ad sedem luminis promotor esto sedulus.

In secundis Vesperis, à Capitulo fit de sequenti, ut in Communi ynius Martyris.

Ad Magnificat. pro beato Olauo, Afia. Adebat dies latitiae, adebat laudis materia, resultat vox Ecclesie, pulsant hymni cœlestia: Martyr illustris hodie, palma ferens insignia, feliciter ex actie traductus in palatia oper coronam victoriae vera migrans ad gaudia, stolam suscepit gloria Olauus Regum gloria.

Oratio.

Deus, qui es Regum corona, & Martyrii victoria: tribue nobis, quæsumus, beati Olaui Regis & martyris tui pia apud te experiri patrocinia: ut per tuam, quam in eius passione glorificamus, magnificentiam, coronam vitæ diligentibus te percipiamus repromissam. Per Dominum nostrum.

Deinde pro commemoratione sancti Botuidi. Aña. Vale robur debilium, monstratus ab auicula, consolator flebilium, puritatis ouicula; te pugilem mitisicum tua laudat plebecula, numen petit saluificum pia deslens pericula; quam per tuum auxilium, vitæ subacta nebula, traetu ducat ad Filium Pater vi-

In festo S. Olaui Regis & martyris.

uers in sæcula. **V.** Iustus ut palma florebit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio. C ordibus nostris, quæsumus Domine. **vt supra.** ^{24.}

DIE XXXIX. IULII.

In festo sancti Olaui Regis & martyris. Duplex.

In i. Nocturno leguntur Lectio-nes de Scriptura occurrente.

In ii. Nocturno. Lectio iiiij.

O Lauus Rex Noruegiæ, Olaui Skot-konung, Suecorum & Gothorum Regis gener, Evangelicæ veritatis sinceritate in Anglia comperta, Rothomagi ad gratiam Baptismi deuota animi alacritate peruenit. Purificatus lauacro salutari, non satis esse putabat, ut Episcopi & Sacerdotes continue in Regno eius Noruegiano Christi Euangelium prædicarent: sed nouo rerum ordine ipse Rex Apostoli vice fungeret. Christi gratiam passim omnibus prædicabat, innumerabiliterq; populi multitudinem Dominum brevi acquisiuit. Quod indignè ferentes plerique proceres Noruegiani. fidei Christianæ hostes, Canutum Danorum regem contra eum inuitarunt. Quorum ille perfidiā declinans, in Russiam secessit ad Iaroslaum Russiæ Ducem affinem suum.

¶. Honestum fecit.

Lectio v.

In Russia non paruo tempore demoratus, religionis & vitæ sanctissimæ celebrem atque iuundam reliquit memoriam. Perterritus autem Noruegiani optimi Regis absentiaz, ipsum ab exilio ad Regni solium per Legatos reuocant. Ille persuasus ab eis, per Sueciæ fines, magna Regis Amundi affinis, aliorumque propinquorum & amico-

rum gratulatione, in Noruegiam reuertitur. Quo comperto, veritatis hostes conuerterunt in vnū aduersus Dominum, & aduersus Christum eius; bello que venientem excipere decreuerunt, duce Canuto Danorum rege.

¶. Desiderium animæ.

Lectio vi.

Occurrat sanctus Rex inimicis cum exercitu, pro iustitia & fide pugnaturus. Interē noctu apparet ei Dominus Iesus Christus, atque his verbis eum solatur: Veni dilecte mi, accipe coronam quam tibi preparauit in æternum. Quia visione confortatus, martyrio se latuus obtulit; iam diuinitus agnoscens scalam sibi ad cælos erētam, quam nuper in somnis viderat, per quam ad magnam illam multitudinem dulcedinis diuinæ feliciter erat ascensurus. Anno igitur Domini millesimo Vigesimo octavo per quosdam domesticos homines improbos, à Canuto rege pecunia corruptos, oppresi, de castris ad Palatia æterni Regis, & de bello migravit ad pacem. Cuius sanctitatem Deus post mortem eius multis declarauit miraculis.

¶. Stola incunditatis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangeli secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16. d

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Homil. de uno Martyre.

Veritas dicit, Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum. Quia nisi quis à semetip-

so deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat: nec valer apprehendere quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sed iam qui se a vitijs abnegat, exquirenda ei virtutes sunt in quibus crescat. Nam cum dictum est, si quis vult venire post me, abneget semetipsum; protinus adiungitur, Et tollat crucem suam, & sequatur me.

R. O quantus fidei feruor iniustissimi Martyris pectus accenderat, qui in medio gentium ferarum constitutus, * Non celabat salutis verbum cunctis praedicare! **V.** Multos habebat aduersarios, qui viam Domini rectam conabantur euertere. Non cessabat.

Lectio viii.

D Vobis etenim modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensamus quatermodo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat: Castigo corpus meum, & in servitudinem redigo; ne forte alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuiimus crucem carnis, nunc in compassionē proximi audiamus cruce mentis, Ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vior? Perfectus quippe prædicator, ut exemplum dater abstinentiæ, crucem portabat in corpore: & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crux portabat in corde.

R. Rex inclitus Olauus, martyr Domini glorus, claritate confortatus diuinæ visionis, exultans accessit ad locum passionis: * Et per effusionem languinis peruenit ad palmam æternam

fucunditatis. **V.** Felici commercio pro cælesti Regnum commutans terrenum. Regem rex vidit in decore suo, & in salutati Regis, magna gloria Regis. Et per effusionem. **G**loria Patri. Et per.

Lectio ix.

Q Vi enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Sic dicitur fideli: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam tuam propter me & Euangeliū, taluam eam faciet. Ac u agriculte dicatur: Fruumentum si seruas, perdis: si seminas, renouas. Quis enim nesciat, quod frumentum, cum in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit. Sed unde putrescit in puluere, inde virescit in renouatione.

T e Deum laudamus.

Ad Benedictus, Antiphona. Egressus martyr Olauus nocte præcedente diem passionis, splendore amictum contemplatur Iesum astantem sibi ac dicentem: Veni chare meus: tempus est, ut laborum tuorum dulcissimos percipias fructus.

In iij. Vesperis, ad Magnificat, Antiph. Hodie pretiosus martyr Olauus ab inimicis veritatis occisus pro iustitia, de castris victor ad aulam Regis æterni, de bello migravit ad pacem, quæ exuperat omnem sensum.

DIE XXXI. IV LII.

In festo sancti Helena Viduæ & martyris. Duplex.

Ad Vespertas, Aña. Dum esset Rex, cum reliquis de Communi non Virginum.

Capitulum. Prou. 21. &

M Vlierem fortem quis inneniet? procul, & de ultimis finibus pretium eius. Con-

In festo S. Helenæ vidua & matt.

Hidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. **Hymnus.**

Felix parens Westgothia
Gaudens plaudet, multiplica
Pro tuae prolis gloria
Deuota laudum cantica.

Helena martyris hodie
Carnis abiecta pondere
Cælestis aulam curia
Scandit de mundi carcere.

Clavis orta parentibus,
Nobilitatem geneis
Bonis ornata moribus
Cœpit ab annis teneris.
Prost maritale vinculum
Deo se totam dedicans,
Salutis sit spectaculum,
Exemplis, signis einicantis.

Deus Creator omnium,
Te poscimus tertigenæ,
Ut nos ad cæli gaudium
Prece perducas Helenæ. Amen.
V. Specie tua, & pulchritudine
tua. **R**. Intende, prosperè pro-
cede, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona.
Salve decus patriæ, Martyr Deo
grata, ad laudem Westgothia
cælitus donata; coram Rege
gloriarum dignè iam locata, esto
Regni Sueciæ clemens aduo-
cata.

Oraio

LArgire nobis, quæsumus cle-
mentissime Deus, interces-
sione beatæ Helenæ martyris
tuae veniam nostrorum pecca-
torum: & quos eius concedis
solemnis gloriati, da eius pre-
cibus gloriosis cælitus adiuua-
ti. Per Dominum.

**In primo Nocturno, Lectiones
de Parabolis Salomonis. Muli-
rem fortem. ut in Communi.**

In ii. Nocturno. Lectio iiiij.

Helenæ nobilibus paren-
tibus apud Westrogo-
thos orta, post hiemem
infidelitatis veluti nardus odo-
ritera & stella matutina appa-

tuit, exemplis radians, & signis
coruscans. Hæc à puerò, initia
Susannæ, in lege & iustificatio-
nibus Domini erudita est. Cùm
ad nubiles annos venisset, tra-
dicta viro, eum tamquam Sara
Tobiæ vxor, cum timore Dei
suscipere consensit. Mortuo au-
tem viro, quamvis eam ad fe-
cundas nuptias ætas & opes vo-
carent, elegit potius Deo per
spirituales nuptias coniungi, quæ
à luctu incipiunt, & ad æternā
gaudia ducunt; quam carnali-
bus nuptijs subiici, quatum læ-
titia initium est, finis vero lu-
citus. **R.** Propter veritatem.

Lectio v.

Soluta igitur vinculo mari-
tali, laboriosam viduitatis vi-
tam tenens, Judith sanctæ mu-
llieris imaginem in se expressit:
nam omnibus diebus vitæ suæ
seculijs & orationibus Domino
seruiebat. Dominus eius viato-
ri patuit semper; & de velle-
tibus ouium eius calefactus est
pauper. Ierosolymam ad sepul-
chrum Domini contuendum, &
adorandum in ijs locis in qui-
bus pedes eius steterunt, maxi-
mo deuotionis studio, religiose
profecta est. Dilexit præterea
decorum domus Dei: nam ma-
gnam Ecclesiæ Scodeuenis par-
tem, in qua postea sacrum eius
corpus depositum fuit, suo sum-
ptu extruxit. Prophetia quoque
spiritu donata, & mortis suæ
diem, & locum sepulturæ lon-
gè antè predixit.

R. Dilexisti iustitiam.

Lectio vi.

Dum sic mulier sancta & Deo
dilecta in assiduo bonorum
operum exercitio versaretur,
accidit ut gener eius, vir nobilis,
proprietatem suam, qua in
coniugem exolam vtebatur ni-

mia,

mia, à seruis, contumelias dominæ suæ iniquo animo ferentibus, occideretur. Eius necis famulam Dei propinquæ non modo conscientiam, sed auctorem fuisse iniquè calumniati sunt. Ipsa vero bonitatis & pacis filia, innocentia alumna, beneficiebat ijs. qui eam oderant, & orabat pro perséquentibus & calumniantibus se. Quadam igitur die, duni in villa Gotheue ad Ecclesiæ iter, ab aduersarijs, grauibus inflictis vulneribus, crudeliter imperfecta est. Eam Alexander Papa Tertius, Carolo Suercheri filio, Suecorum & Gothorum Rege instante, ob sanctimoniam vitæ, & miraculorum operationem, in Sanctorum numerum retulit, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto.

*. Fallax gratia.

In tercio Nocturno.

Lectio sancti Euangeli secundum Matthæum.

Lectio vii.

Cap. 12. d.

IN illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. Hom. 7. Quadr.

Marem & fratres dicit Apostolos impletiores paternæ voluntatis, qui à Deo Patre illum misum credebant. Nec negauit matrem de qua carnem aslumpserat, sicut insaniunt Marcionistæ & Manichæi, qui eum dicunt non habuisse verum corpus, sed phantasticum: sed spiritualem propinquitatem carnis prærulit consanguinitati; vt & nos doceret, in causa nullum de affectione carnis recognoscere. Vnde adhuc sequitur: Quicumque fecerit voluntatem Patris

mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

R. Lætare fidelium concio deuota, nouum fac triplum natio Westgotha*. Helena martyrium laudet mundi rota. Cuius per mundum clatent mitacula nota. Helenæ. Lectio viii.

Quod Dominus eum qui voluntatem Patris sui fecerit, fratrem & sororem vocat, propter utrumque sexum qui ad fidem colligitur, non est mirum. Valde autem mirum & quæstum dignum est, quomodo etiam mater Domini dici possit. Nam & discipulos fratres dignatus est appellare post resurrectionem, ita inquiens: Ite, nuntiate fratribus meis. Qui ergo frater est in eum credendo, & Patris voluntatem implendo, quomodo etiam mater fieri possit, inuestigandum est. Sed sciendum, quia sicut quis frater Dñi efficitur in eum credendo, ita etiam mater predicando. Quasi enim mater Christi quis efficitur, cum per eius prædicationem amor Dñi in proximi mente generatur.

R. Audi clemens Domina processus tuæ gentis, gaudens inter agmina curiæ gaudentis, * Sis inter discrimina vitæ dux præsentis. ♀. Quæ fueras solita geritus relevare dolentis. Sis inter. **G**loria Patri. Sis inter.

Lectio ix.

MAgna dignatio, inæstimabilis bonitas, inenarrabilis misericordia, hominem, qui seruus vocari dignus non fuerat, fratrem Domini appellare. Quam quia ex æquo pendere non valemus, saltem dignè venerari satagamus, omnique industria laboremus, ne aliqua vitiorum fœditate degeneres, & tanto nomine induce-

mur indigni. Defendamus nobis moribus id quod nomine vocamur: ne non intelligentes honorem diuinæ filiationis, comparemur iumentis insipientibus, & similes illis simus: & vt ea quæ loquimur, obtainere mereamur, illius semper adiutorium nobis adesle poscamus, qui cum esset unicus Filius Dei, propter nos dignatus est esse filius hominis; Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in aeternum sacerdorum. Amen.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, Capitulum. Miserem fortēm. vt suprā. 28.

Hymnus.

Adest triumphus nobilis,
Dies redit latitiae,
Qua Martyr venerabilis
Venit ad thronum gloriae.
Thesaurizauit aude
Thesauros in caelestibus,
Duo opes suas prouide
Dispensit, dans pauperibus.
Leiunans, orans, operans,
Carnem domat & afficit;
Cælestia desiderans
Cum Deo mentem reficit.
Signa dedit insignia,
Surdis auditum tribuit,
Mundans lepræ contagia,
Cæcis visum restituit.
Deus Creator omnium
Te poscimus terrigenæ,
Ut nos ad cæli gaudium
Prece perducas Helenæ. Amen.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ó beata Domina, digne sublimata, audi tibi carmina pie decantata; tua per precamina dilue peccata, duc ad cæli limina nos desiderata.

In ij. Vesperis, ad Magnificat, Antiph. Vade flos Westgothæ, patriæ lucerna, in via iustitiae deuios guberna, de valle miseria

nos duc ad superna, vt tecum in requie viuamus aeterna.

DIE II. AVGUSTI.
Commemoratio.

S. Catharinae Vastanensis.

Ana. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in aeternum.
V. Specie tua, & pulchritudine tua. **R.** Intende, prosperè procede, & regna. **Ora: 10.**

Deus, qui Ecclesiam tuam beatæ Catharinæ præclaris decoras meritis, & gloriois letificias miraculis: concede nobis famulis tuis: vt eius exemplis in melius reformemur, & ab omnibus aduersis eius patrocinio protegamus. Per Dominum.

Et in Laudibus, Antiphona. Si mille est regnum celorum homini negotiatori querenti bonas margaritas: inuenta una pretiosa, dedit omnia sua, & comparauit eam. **V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum. **Ora: 10.** Deus, qui Ecclesiam tuam. **vt suprā.**

IN MENSE SEPTEMBRI

Dominica proxima post festum

S. Matthæi celebratur festum Reliquiar. in Eccles. Vpsalensi.

Omnia dicuntur vt in Communi plurimorum Martyrum, præter ea quæ hæc assignantur.

Ora: 10.

Propitiare, quæsumus Domine, famulis tuis per merita gloriose Virginis Mariæ, & beatorum martyrum Laurentij, Erci, & omnium Sanctorum tuorum, quorum Reliquie in hac continentur Ecclesia, vt eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamus aduersis. Per Dominum nostrum.

Deinde ut commemoratio Dominicæ occurrentis.

In

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolorum.

Lectio i.

Cap. 5. b

Rer manus autem Apostolorum siebant signa, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, vt, veniente Petro, saltē umbra illius obumbraret quemquam ilorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes agros, & vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes.

¶. Absterget Deus.

Lectio ii. 18. 19. b

Introrgesitus Paulus synagogam; cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium, ira ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudei atque Gentiles. Virtutesq; non quassibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur.

¶. Viri sancti.

Lectio iii.

TEntauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudeis exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus predicat. Erant autem quidam Iudei Scenae principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam dicit eis: Iesum noui, & Paulum scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita ut rudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem noctum factum est omnibus Iudeis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu. Multiq; credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos. ¶. Tradiderunt.

In secundo Nocturno.

De Sermone sancti Gregorij

Papæ.

Homilia 32. in Evangelia.

Lectio iii.

Ad sanctorum Martyrum corpora consistimus, fratres mei. Numquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime constitisset, esse vitam pro qua inori debuissent? Et ecce qui ira crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo viuunt illie ubi viuunt, si in tot miraculis viuunt hic ubi mortui sunt?

¶. Sancti tui.

B. 5

Lectio

Le^tc^{tio} v.

Quod videti potest, melius dicitur sciri quam credi. Venturam ergo vitam nos Dominus voluit magis scire quam credere: qui eos quos iniurabiliter recepit, apud se vivere nobis etiam visibiliter ostendit. Hos ergo, fratres charissimi, in causa vestri examinis, quam cum disticto iudice habetis, patronos facite: hos in die tanti terroris illius defensores adhibete. Certe si apud quemdam magnū iudicem causa quelibet vestra esset die craftina ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur; patronum vestra fraternitas quereret, magnisque precibus ageret, ut apud tantum iudicem sibi defensor veniret.

R. Verbera carnificum.

Le^tc^{tio} vi.

Ecce districtus Iudex venturus est: tanti illius Angelorum Archangelorumque concilij terror adhibetur: in illo conuentu causa nostra discutetur: & tamen nos patronos modo non querimus, quos tunc defensores haberemus. Adiuncti defensores nostri sancti Martyres, rogari volunt, atque, ut ita dixerim, querent ut querantur. Hos ergo auditores orationis vestrae querite, hos protectores vestri reatus inuenire: quia ne punire peccatores debeat, roga- ri vult & ipse qui iudicat. Unde & tam longo tempore comminatur iram, & tamen misericorditer expectat. Sic autem nos misericordia eius refoueat, ut nullo modo negligentes reddat: sic priuata nostra perturbent, ut mens in desperationem non proruat: quia etsi praesumentes metuimus, & metuentes speramus, æternum Regnum

citius adepturi sumus per eum qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

R. Tamquam aurum.

In tertio nocturno.

Le^tc^{tio} sancti Euangelij secundum Lucam.

Le^tc^{tio} vii. Cap. 6. c

In illo tempore: Descendens Iesu de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudea, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis. Et reliqua.

De Homilia sancti Bernardi Abbatis.

In festo omnium Sanctorum.

Legimus in Euangeliō hodie, quoniam videns turbas Iesu, ascendit in montem. Prædicantem enim Dominum de ciuitatibus & castellis populi sequabantur: quorum saluabat animas, sanabat & corpora; & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati: cuius nimis vox suavis, & facies decora, sicut scriptum est: Speciosus forma p̄filiis hominū, diffusa est gratia in labijs tuis. Talis est quem nos sequimur, cui adhætemus, totus desiderabilis: in quem non solidum populi, sed & ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere.

R. Propter testamentum.

Le^tc^{tio} viii.

Quid vobis suauius apponamus? Nimis haec sunt deliciae Angelorum. Gustate proinde & videte, quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic sapori, huic sapientiae quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? Sed à Deo huc

hæc vniuersa dona sunt: nec du-
bijum quin multò amplius reter-
nauerit sibi, quam dederit crea-
turiis. **¶** Sancti mei.

Nona Lectio dicitur de Homi-
lia Dominicæ occurrenti.

DIE VI. OCTOBRIS.
Translatio S. Aeschili Episcopi &
martyris. Duplex.

Omnia ut in Festo eiusdem,
præter Lectiones secundi No-
turni.

De Sermone sancti Ambrosij
Episcopi.

In natali SS. mart. Nazarij
& Celsi. **Lectio iii.**

Licet hic tantus Christi te-
stis, Vexionensiū pecu-
liaris putetur priuilegio
sepulchri, sed omnium est com-
munione suffragij. Neque enim
istius r̄bis charitas proliua, &
fidei auara, tantum huic Mart-
yri derogauerit dum sibi arro-
gat, vt solum erga mcenia sua
patrocinij illius beneficia afflu-
tura esse crediderit. Non clau-
ditur locis, quod diffunditur
meritis. Inuocasti vbique Mart-
yrem, vbique te exaudit ille,
qui honoratur in Martyre. Mo-
derante itaque eo qui pensat
votata tua, & dispensat munera
sua, in tantum vicina præsentia
efficacis præbebitur aduocati, in
quantum fuerit fides deuota su-
cepti. Oratio enim quæ castita-
tis, iustitiae, eleemolynatum o-
peribus adiuuatur, excedit mun-
dum, penetrat paradisum, euo-
lat viq; ad ipsum summæ Maie-
statis, Angelo conferente, con-
spectum. **¶** Honestum fecit.

Lectio v.

Quæ cùm ita sint, honore-
mus beatos Martyres, prin-
cipes fidei, intercessores mun-
di, præcones Regni, coheredes
Dei. Quod si dicas mihi: Quid

honoras in carne iam resoluta
atque contumpta, de qua iam
nulla Deo cura est? Et ubi est il-
lud, charissimi, quod ipsa Veri-
tas loquitur per Prophetam?
Prestiosa, inquit, in conspectu
Dominii mors sanctorum eius. Et
iteum: Mihi autem valde ho-
norificati sunt amici tui, Deus.
Honorate debemus seruos Dei,
quanto magis amicos Dei? de
quibus alio loco dicitur: Do-
minus, inquit, custodit omnia
ofia eorum, & vnum ex his non
conteretur.

¶ Desiderium animæ.

Lectio vi.

Honor oigitur in carne Mar-
tyris exceptas pro Christi
nomine cicatrices: honoro vi-
uentis memoriam in perennitate
virtutis: honoro per confes-
sionem Domini sacros cin-
eres: honoro in cineribus semi-
na aternitatis: honoro corpus
quod mihi Dñm meum ostendit
diligere, quod me proper
Dominum mortem docuit non
timere. Cur autem non hono-
rent corpus illud fideles, quod
reuerentur & dñmones? quod
& affixerunt in supplicio, sed
glorificant in sepulchro? Hono-
ro itaque corpus, quod Christus
honorauit in gladio, quod
cum Christo regnabit in celo.

¶ Stola iucunditatis.

DIE VII. OCTOBRIS.

In festo S. Birgitæ viduæ.

Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Dum
esset Rex. cum ieliq. de Com-
muni non Virginum.

Capitulum. *Propterea. 31. b.*

Muelerem fortē quis in-
ueniet, procul, & de vl-
timis finibus pretium eius. Con-
fidit in ea cor viri sui, & spolijs
non indigebit.

Hymnus.

H Ora confurgit aurea,
Lux absque nube rutilat,
Regna gaudent ætherea,
Mundus applaudens iubilat.
N am decor Regni Sueciæ,
Birgitta clari germinis,
Clara iam videt facie
Splendorem veri luminis.
Ex fructuosa vinea
Virga processit gracilis,
In ætate virginæa
Pulchræ Rebeccæ similis.
S picas virtutum colligit
Ruth polt terga metentium,
Quarum se granis reficit
Intra terram viuentium.
A matrix innocentia
Castum dicens coniugium,
Cor dedit sapientia,
Vanum postponens gaudium.
I esu nostra redemptio,
Fac nos in Regnis cælicis
Huius Patronæ merito
Sanctorum frui gaudijs.
Amen.

V. Specie tua, & pulchritudine
tua. **B.** Intende, prosperè pro-
cedo, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona.
Birgitta Christi famula, fidelis
in officio, tu felix Anna vidua,
templi vacans feruicio, Rachel
amore feruida, Iacob placens
consolatio, salis ægrotis placida,
deuoris consolatio, splendens
iustorum semita, mæstorum re-
creatio, fiat per tua merita grata
nostra deuotio, quæ referas abs-
condita, nos offer lucis radio.

Oratio.

D Omne Deus noster, qui
beatæ Birgittæ per Filium
tuum vnigenitum secreta cæ-
lestia reuelasti: ipsius pia inter-
cessione da nobis famulis tuis,
in reuelatione sempiternæ glo-
rie tue gaudere letantes. Per
eundem Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones
de Parabolis Salomonis. Malle-
rem fortem. vt in Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

B irgitta in Suecia illustri-
bus & pijs paientibus or-
ta, sanctissimè vixi. Cùm
adhuc in vtero gestaretur, à
naufragio propter eam mater
erepta est. Decennis post audi-
tum de passione Dñi sermonem,
sequenti nocte Iesum in cruce,
recenti sanguine perfusum vi-
dit, & de eadem passione secum
loquentem: quo ex tempore in
eiusdem meditatione ita afficie-
batur, vt de ea sine lacrymis co-
gitare deinceps numquam pos-
set. **B.** Propter veritatem.

Lectio v.

V lioni Nericiæ Principi in
matrimonium tradita, vi-
rum ipsum ad pietatis officia,
tum optimis exemplis, tum effi-
caciis verbis adhortata est. In
filiorum educatione piissima.
Pauperibus, & maximè infirmis,
domo ad id muneris dicata, in-
seruiebat quam diligentissimè,
illorum pedes solita lauare, &
osculari. Cùm autem vna cum
viro suo rediret Compostella,
vbi sancti Iacobi Apostoli sepul-
chrom visitauerant, & Atrebati
Vlfo grauiter ægrotaret, san-
ctus Dionysius Birgittæ noctu
apparuit, & de maiori salute,
alijsque de rebus, quæ futuræ
erant, præmonuit.

B. Dilexisti iustitiam.

Lectio vi.

Viro Cisteriensi monacho fa-
cto, & paulò post defuncto,
Birgitta, auditæ Christi voce in
somnia, arctiore vita formam
est aggressa. Cui deinde arcana
multa fuerunt diuinitus reuela-
ta. Monasterium Vastanensem sub-

regula sancti Salvatoris, ab ipso Dño accepta, instituit. Romam Dei iussu venit, vbi plurimos ad amorem diuinum vehementer accedit. Inde Ierosolymam petit, & iterum Romam: qua ex peregrinatione cum in febri incidisset, graibus per annum integrum afflictata morbis, cumulata meritis, prænuntiato mortis die, migravit in cælum. Corpus eius ad Valtanense monasterium translatum est; & miraculis illustrem Bonifacius Nonnus in Sanctorum numerum retulit. **R.** Fallax gratia.

In tertio nocturno.

Lectione sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectione vii. Cap. 11. b

In illo tempore: respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarij Episcopi.

In idem Euangelium.

Cælestium verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & paruulis reuelantur: paruulis malitia, non sensu, sapientibus vero stultitiae sua præsumptione, non prudentiae causis. **F.** Etiqui, huius æquitatem Dñs paternæ voluntatis iudicio confirmat: vt qui dedignantur paruuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant.

R. O facies Moysaica, solis coruscans radijs, sanctitate magnifica, magnis clariens prodigijs;

* In requie pacifica spōsi fruens encænijs. **V.** O femina mirifica, continuis lætificas seruos tuos præsidis. In requie. **Lectione viii.**

Ac ne quid in illo minus, quam quod in Deo, astinaretur; omnia sibi à Patre ait

tradita esse, soliq; se Patri cognitum, Patremq; soli sibi notum, vel cui ipse reuelate voluisse, reuelatus ei à quo, vt reuelare velit, oretur. Quia reuelatione tandem vtriusq; in mutua cognitione esse substantiam docet, cum qui Filium cognosceret. Patrem quoque cognitus esset in Filio; quia omnia à Patre ei sint tradita. Tradita autem non alia sunt, quam quæ in Filio soli nota sunt Patris: nota vero Filio soli esse quæ Patris sunt. Atque ita in hoc mutuæ cognitionis secreto, intelligitur non aliud in Filio, quam quod in Patre ignorabile sit, extitisse.

R. O canalem mundissimum, per quem de cæli cardine fluit, ut ros, eloquium ignitum sancto flumine, * Mentes inflammans hominum interiori lumine.

V. Ora Birgitta Dominum ut nos post vitæ terminum calorum locet agmine. Mentes.

Gloria Patri. Mentes.

Lectione ix.

Legis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis scilicet oneratos, ad se aduocat, dempturumq; se laborem onus que promittit, si modò eius iugum tollant, mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiant, eumque sacramento crucis aduent, quia corde humilis & misericordia sit, & in his animabus suis requiem inueniant, iugi suauis, & leuis oneris blandimenta proponens, vt credentibus eius boni scientiam præstet, quod solus ipse nouit in Patre. Et quid iugo ipsius suauius? quid onere leuius? Probabilem fieri sceleste abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odire nullum, aeterna consequi, præsentibus non capi, nolle auferre senti.

In rerto S. Birgittæ viduæ.

alteri quod ipsi sibi perpeti sit molestum.

Te Deum laudamus.

A D L A V D E S,
Hymnus.

Cæli perornat gaudia,
Causam præstat lætitiae
Birgitta rosa fulgida,
Pax &c decus Ostgothizæ.
Beata pauper spiritu,
Palmas extendens pauperi,
Læto vultus intuitu
Manum porrexit inopi.
Soluto matrimonio
Postquam vir mundo moritur,
Deuoti cordis osculo
Christum sponsum amplecti-
tur.
Sponsus dilectam suscitat,
Veni, vocans, ad Libanum:
Surgit amica, properat,
Regalem petens thalamum.
Montes retin aromatum
Hæc affluens delicijs,

Donis plena charismatum
Vitam seruat à vitijs.

Iesu nostra redemptio,
Fac nos in Regnis cælicis
Huius Patronæ merito
Sanctorum frui gaudijs. Amen,
Vell. Diffusa est gratia in labijs
tuis. **Resp.** Propterea benedixit
te Deus in æternum.

Ad Benedictus. *Antiphona.*

Corona sponsa prædicta, præsen-
tata pet Virginem, plebem deuo-
tam visita, tuam rege progeniem,
vibrant mottis illumina, noſtiſ
aſter caliginem, pedes noſtros
iuftifica in pacispulchritudinem.

In ij. *Vesperis ad Magnificat.*

Aha. Vale suavis musica, demul-
cens aures Principum: tu Ge-
deonis buccina, castra deterrens
hostium: tu dulcis tympani stridus,
corda mouens fidelium: con-
verte mater inclita luctum no-
strum in gaudium.



278 o msf

1100

P.

